REVERENDISSIMI
IN CHRISTO
PATRIS,
PATRICII ADAMSONI,
SANCTI-ANDREÆ
In Scotia Archiepiscopi dignissimi ac doctissimi,

Poëmata Sacra, cum alijs opusculis.

Studio ac industria THO. VOLVSENI
I.C. *Expolita & Recognita.*

LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM,
ANNO M.DC.XIX.

* 56-557

Ad Auguſtiſſimum & Inuictiſſimum Monarcham,

IACOBVM

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ *Regem, Fideiq; Propugnatorem* ſtrenuum.

Εὐσεβείας ἕνεκα Τῶν.

Vm ante triginta plus minus annos, Rex Sereniſſime, *Patricius Adamſonus Sancti-andreæ Archiepiſcopus, T. Maieſtatis auſpicijs plurimas cum in re Theologica, tum ciuili lucubrationes, & Poëmata ab ipſo etiam iuuene cum in Scotia, tum Gallijs ante aliquot annos conſcripta, ac doctiſſimorum ex vtraque gente calculis comprobata, publici iuris facere inſtituiſſet; ea temporum incidit calami-*

tas (cuius ingratam memoriam vsurpare, & vulnera propè obducta refricare, non est animus) vt Archiepiscopus hic noster, non tam in scriptis edendis, quàm in fama tuenda, & vita anxiè toleranda, malevolorum calumnijs, fraudibus, & vt aperta appetitus, laborarit; & morbis diuexatus ægrè respirarit, tandemque oppressus, sacram Deo animam reddiderit. Ne tamen cum caduco corpore, ingenij monumẽta interiisse videantur; nonnulla, quæ sola ab inimicorum (qui omnia ipsius opera suppressa voluerunt) improbitate, vindicare licuit; pro ea, quâ generum soceri memoriam prosequi decet, pietatẽ, in publicum dare constitui. Sed cui posthumos auctoris fætus dedicandos putem, dubitare est nefas; vt qui probè sciam, non modò omnes eius, tum stricta, tum soluta oratione vigilias, & opera ab ipso viuo T. Mati destinata, sed omnia insuper ipsius studia, industriam, labores, conatus, fortunas, vitam

denique

denique ipsam eidem consecratæ, & non sine summo discrimine sæpius expositæ meminerim. Neque verò Mtem T. latet, quantum vitæ periculum adierit, cùm Parisiis, famâ de augustissimis & felicissimis tuis natalibus percrebrescente, Genethliacon, iisdem, quibus nunc Maiestas tua insignita est titulis conscripsit, & quod typis ibidem audaciùs commisit; arctiore carcere, velut omine eorum, quæ pro sua in Mtem T. observantia & obsequio passurus esset, per menses senos conclusus est: nec nisi magnorum Principum precibus & intercessione, grauius periculum euasit. Taceo (nemini mortalium, æquè ac Mti T. ista sunt nota,) quæ in Antistitum Ecclesiæ dignitate & munere asserendo, ac fundamentis Ecclesiastici regiminis, quod nunc tandem tuis auspiciis in Scotia viget & floret, iaciendis, insanitâ potius, quàm odio nonnullorum phreneticorum pertulerit; cùm vnicum ipsi in tua,

post Deum, Mate positum esset præsidium. Quo tempore, cùm nefariis nonnullorum artibus, & flagitiosis consiliis, insani de tua in Pontificiam superstitionem propensione, per vicinam Angliam rumores spargerentur: Archiepiscopum hunc tuum, verè inquam tuum, cum amplissima legatione ad Serenissimam Elizabetham Angliæ Reginam mittere est visum: Qua in legatione, cùm Reginæ animum, malè feriatorum hominum calumniis præoccupatum penitus denudasset, & omnes scrupulos amouisset: concionibus in summa omnium ordinum frequentia Londini persæpe habitis, cuius singularem in Orthodoxæ Religionis mysteriis explicandis, & controuersiis diiudicandis peritiam, quin & acerrimum in eadem tuenda & amplificanda studium ac zelum, rarissimâ quæ ipsi innata erat, & literis politioribus exculta, facundiâ, solerter & copiosè exposuisset, & à perditissimis Satanæ mancipiis dissemi-

tuam

natas

natas calumnias abundè diluiſſet; ea ab omnibus qui certatim confluebant auditoribus, tantâ gratulatione & applauſu excepta ſunt, vt templa omnia conſonis T. M^ti fauſta & fælicia comprecantium vocibus, velut celeuſmate, perſonarent. Hæc cùm Reginæ, per quoſdam, qui concionantem aliquoties audiuerant, tandem innotuiſſent; ea verita, ne quantum popularis auræ, adoleſcenti tum T. M^ti accreſceret, tantum deuergenti ſuæ decreſceret; ex ſanctioris conſilij ſententia miſſus eſt Reginæ nomine, qui Archiepiſcopum moneret, vt omni in Anglia concionandi munere abſtineret; Nec tamen omni oblata occaſione deſiit, imperitos multos ius illud quo Angliæ regnum T. M^ti, ſecundum Elizabetham *debebatur, priuatim edocere, vacillantes erigere, gnaros pronoſque confirmare. In Scotiam autem reuerſus, cùm imperitæ multitudini, fanatici nonnulli, obiecto Religionis & Reipubl. velo, impo-*

ſuiſſent

fuissent, & qui tunc rerum erat tam in Ecclesia, quàm in aula status, insectarentur, Libellus Apologeticus T. M^tis iussu ab ipso est editus, quo consilij tui rationes tam in Ecclesia quàm in Repub. ordinanda explicantur, & fanaticorum hominum furor detectus retunditur. Atque hic quidem pro tempore profuisse non parum est visus. Neque verò M. Tuam fugit, quo subinde periculo versatus sit, frequentibus Regni, & Ecclesiæ comitiis, pro Ecclesiæ & Reipub. moderamine acturus, Præsertim in Ecclesia & Urbe Edinburgena, ad Proceres & populum verba facturus, dum eos per Iehouam adhortatus esset, vt ex Apostoli præscripto, officij debiti & charitatis norma, obnixè orarent & preces supplices instituerent pro Serenissima matre Regina tunc superstite, aliisque legitimis occasionibus. Et cùm id temporis, de Episcoporum dignitate & munere, magna contentione quæstio agi-

taretur

taretur; visum est T. Mti in Academia Andreana præsente Gulielmo Salustio Bartassio, quid tuus Archiepiscopus inopinatò & ex tempore in hoc argumenti genere contra Andream Meluinum posset, experiri: atque ibi quidem, quantum non modò in historia Ecclesiastica & Patrum orthodoxorum scriptis, sed in reconditis Sacræ Theologiæ mysteriis, & omni politioris eruditionis genere potuerit, omnium qui tunc aderant sententiis est probatum. Non multò post, subsequuta sunt ea tempora, quorum ipse in suis ad Mtem T. in Apocalypsin & Jeremiæ Threnos præfationibus, suâque ad Musam Apostrophe, ac ad M. Tuam adhortatione, aliisque suis scriptis diserte meminit. Quibus non modò ab incepto in restauranda Ecclesia, ac eiusdem hierarchia constituenda conatu, est retardatus; sed dignitate, fortunisque omnibus exutus, vitam miserandum in modum tolerare est coactus:

vnde, vxore, liberis, & familiâ, in summa egestate ac inopia relictis, T. M^tis fidem & opem implorans, morbis & animi angore absumptus, sacro Enthysiasmate & carmine plane diuino animam Deo commendans, vitam hanc mortalem cum immortali commutauit. Quamobrem, Rex Serenissime, cùm Archiepiscopus tuus, quoad vixit, omnes vitæ suæ rationes, tibi tuisque negotiis addixerit, nihil me absonum, aut à genio tuo alienum admissurum spero, dum opera ipsius, quæ nunc conquiri possunt, nasutissimo hoc seculo in lucem emittens, ea M^ti T. consecrauerim. Atqui hoc quidem eò confidentiùs aggredior, quòd non modò authorem ipsum dum viueret, variis tempestatibus & procellis iactatum, in tutissimum & tranquillissimum T. M^tis portum recipere & fouere, sed patrocinio tuo ipsum, eiusque opera dignari, eaque posteritati, præmisso Elegantissimo tuo Epigrammate, commendare

dare non ſis aſpernatus. Accipe igitur, Rex Sereniſsime, *eadem fronte, poſthuma hæc ipſius opera, quâ viuum eorum parentem excipere conſueuiſti, & noſtram hanc opellam, qua ſoceri Clariſsimi & reuerendiſsimi memoriæ conſulimus, patrocinio tuo protege: Nec non miſerandos ipſius liberos orphanos, qui ex calamitate & morte paterna, nil præter orbitatem & egeſtatem retulerunt, tueri ac ſubleuare non dedigneris. Deus ille miſericors, tibi vndique propitius, Auguſtiſs. M. Tuam Regnis, Reipubl. & Literatis omnibus, quàm diutiſsimè ſeruet incolumem. Amen.*

M^tis T.

Obſeruantiſſimus,

THO. VOLVSENVS.

Ccipe Nectareos, ô Rex Excelſe, liquores,
(Præſes Apollinei, Pieriſque chori.)
Non hæc Picenis in collibus tua pependit,
Gallia, nec Rhenus, nec Tagus ipſe dedit.
Non Thuſcis innata iugis, tergoue falerni eſt,
Maſſica non illam, Creſſaue terra tulit.
Manauit ſuauis patrijs de vitibus humor,
His poni voluit quas pia cura locis,
Hæc loca ſi memini, cunctis præferre ſolebas,
Dicebas ipſos hîc habitare Deos.
Nil mutata loci facies, ijdemque penates
Nunc ſunt, mens eadem quæ fuit illa prius.
Hæc vatis monimenta tui, Rex excipe lætus,
Cæcropiæque ſacris debità thura choris.
Quicquid Arabs, Sereſque ferunt, & odorifer Indus,
Rubraque gemmiferi deuehit vnda maris.
Hæc & purpureos ſuperant, virideſque lapillos,
Quicquid & aurifero gignit in amne Tagus.
Et quanuis numeros tua gloria ducta per omnes
Vlterius nihil eſt quo ferat illa gradum.
Ille tuas cecinit victuro carmine dotes,
Et toto Nomen claruit Orbe tuum.
Impiger & veſtri cultor, Regnique perennis
Gloria; ſed veræ Relligionis amans.

Atque

Atque ſub auſpicijs, Rex *Auguſtiſsime*, *fauſtis*,
Hæc prodire iuuat munia parua tuis.
Maior vt accedat ſcriptis ex Nomine tanto
Gloria, *quæ nulla ſtet moritura die.*
Interea dum fila ſinunt me currere Parcæ,
Nec ſummi iniuſſu Regis abire licet.
Ipſe ego tale aliquid modò ſi promittere poſſum,
Caſtalioque fluit ſi mea fonte lyra;
Ingenium mentemque tibi, Rex *magne*, *dicabo*,
Gloriaque æternùm perpete laude cluet.
O nimium tali, *Brittannia*, *Principe fælix*,
O Princeps, *hominum gloria*, *cura Deum.*

Mtis T.

Obſeruantiſsimus

THO. VOLVSENVS.

The Kingis moſt excellent Maieſtie, In commendation of the Author.

IN vandring vealth through burbling brooks and bewis,
Of tripping troups and flocks on fertil ground,
In cattell great of ſyndrie ſchaips and hewis,
Vith hoiſes all haill, or in aparted round,
In heapes of gold and riches in all vaies;
As Iob exceld all vthers micht be found
Of Monarchs great or Princes in his daies:
So this Tranſlatour merites no les praiſe
For giftes of ſpreit, nor he for giftes of geir,
And God in grace hath giuen ſuch counterpaiſe,
As his tranſlation to the vork is peir;
He did in him his giftes ſo viſelie mell,
Whoſe heauenlie vealth Iobs earthlie vealth doeth tell.

Latinè

OMnigenis gregibus, fuluo niueoque metallo
Regnorum dominis maior Iobus erat.
Sit cui nunc sacrum pandunt Helicona Sorores,
Omnibus ingenij dotibus auctus erat;
Inclytus omnigenis animi virtutibus: ille
Ditior armentis, mente nec iste minor.
O quàm Ioua bonus lance hæc librauerit æquâ,
Vt compar Iobo versio docta foret.
In quem prudenter confert sua dona Creator,
Iobi vt terrenas carmine cantet opes.

To the enuious, or euill willer.

THy thoughts, thine hopes, and purpoſes ar gone,
Thou buildſt on clouds thy pallace all of ſtone.
For this Arch'biſhop is immortall made,
By learned Workes that ſhall not after fade.
Whom thou and thine did cauſles euer blame,
Heere thy reward ſhalbe great endles ſhame.

LATINE.

In Vappam, ſiue Zoïlum.

IRrita te luſit tua ſpes, fundamina nubes
Dum ſuper aërias ſaxea Mome iacis.
Præſulis eximij laudes ſuper aſtra feruntur,
Cuius iam nequeunt ſcripta decuſque mori.
Dum tu falſiloquæ poſt tot conuicia linguæ,
Inuidiæque refers dedecoriſque notas.

IN IOBVM,

A PATRICIO ADAMSONO Sancti-Andreæ Archiepiscopo, in medio belli ciuilis, quo Gallia anno 1572. conflragrauit, incendio, Poëticâ Metaphrasi illustratum.

THOMAE MORAVII Schediasma.

Gallia ciuili cùm debacchata furore
Facta est heu! populi carnificina sui.
Mœstus Adamsonus, flammâque & cæde piorum
Continuata videns funera funeribus,
Iam dubius vitæ, solum sibi legit Iobum
Aerumnis comitem, consiliumque suis.
Hinc & Adamsono cessit benè, cessit Iobo
Res benè; promeritis munus vterque tulit.
Debet Adamsonius vitæ solamen Iobo,
Quodque pius raptas fert patienter opes.
Iobus Adamsono Latiæ præconia linguæ
Debet, & exortum nunc sibi Virgilium.
Debet vterq; Deo, quod flammâ, cæde, rapinis,
Turbinibus, morbis, carnifices, Satanas
Nil poterant; vel quod poterant, vtriusque saluti
Profuit, & nostris fit medicina malis.

C Nec

Nec medicina malis tantùm: mala nunc bona, vitæ
Et pignus fiunt, arrhaque perpetuæ.
Perpetuâ nobis vitâ hac vtique fruique
Dum liceat, valeant carnifices, Satanas
Turbinibus, morbis, flammaque, & cæde rapinis
Cunctaque concutiant, cunctaque disijciant.
Se cruciant, sese perdunt, nobisque caducam
Dum vitam hanc rapiunt, perpetuam pariunt.

Magni
IVLII CÆSARIS SCALIGERI,
In Iobum
ELOGIVM.

HInc tecum est Dominus, hinc tecum seruus, amicus
Hic fouet: hic fotas atterit hostis opes.
Ingens præsidium: sed cedunt magna minori,
Tandem vt deterior vis potiore ruat:
Ignoto nimium res est operosa labore:
Si quateris, quo max firmior esse queas.

In Authorem, deque eius Scriptis, curâ & charitate *Tho. Voluſeni* excuſſis.

VIribus ingenij nunc ſe Brittanna propagat
Gloria, cui Pallas prævia pandit iter.
Perſonat eloquio mundi vateſque per axes,
Perque ſonat verſu ſolis utrumque torum.
Quod dedit Arpinum Magnæ, quod Mantua Romæ,
Stirps dedit Adami, Scotia docta tibi.
Volſeno Clerus, referat quoque Brittana grates,
Quo ſine Adamſoni Muſa ſepulta foret.
Non ſinit egregij monumenta perire Poëtæ
Qui calet à gelida morte ſuperſtes amor.

GEOR. BARCLAYVS.

EVge Caledoniæ decus admirabile, vates,
Quem præsens ætas posteritasque canet.
En sacer ipse chorus, doctæ pia thura cohortis,
Vatis Adamsoni Nomine, digna litat.
Phœbus & ipse sacer, diuina arcana Tonantis
Pandit Adamsonus Numine digna ferens.
Et vatum refert, prudens Oracla piorum
Quam facili vena, quámque fluente sauo.
Quale Pericleo manabat nectar ab ore,
Quale suo recinit funere carmen olor.
Quale melos Siculo tenuit cita vela profundo,
Tale refers carmen, docte poëta, tuum.
Quas tua non adijt, vates doctissime, gentes
Gloria? Patricium quæ tacitura dies?
Læta nouum mundo natura fauentibus astris
Addidit in Lucem te veniente decus.
Tu Pater eloquij, trinæ præstantia linguæ,
Ingenio priscis æquiparande viris.
Tu decus Orbis eras, doctæ tu gloria gentis;
Gloria crede mihi nec moritura tua est.
Vos decuit, Musæ, sacro succurrere vati,
Ille ope, Phœbe, tuâ viuere dignus erat.
Sed tamen & luctu vestro lachrymisque Mineruæ,
Pegaseas vndas intumuisse ferunt.

Eiuſdem in eundem.

NOſtra licet vatum careat fautoribus ætas,
Turbaque Pierios ſpernat inepta lacus.
Non tamen in magnâ caligne temporis huius
Ingenium latuit docte Poëta tuum.
Atra ſed erumpit veluti per nubila Phœbus,
Formoſumque refert luce nitente diem.
Sic tua ſe propriâ virtute induſtria tollit,
Nec ceſſit fato ſuccubuitque malis.
Quinetiam illuſtres inter, magnoſque Poëtas,
Candida ſublimem dat tibi Muſa locum.
Parnaſſique licet multus verſeris in umbris,
Gratus facundi nec nitor oris abeſt.
Quin tua Pegaſeos dulcis libare liquores
Auſa, atque Aonium Muſa ſubire nemus.
Et tibi conueniunt cytharæ, tibi laurea ſerta;
Gloria quæ doctis contigit ingenijs.

De operoſis Authoris vigilijs & Lucubrationibus, malè feriatorum hominum odijs & fraude ſurreptis.

Eiuſdem.

IN te conſumpſit vires fortuna nocendo,
Nil ſupereſt, quod iam poſſit obeſſe tibi.

Non tamen iſta valent rectam infortunia mentem
Eripere, & virtus inuiolata manet.
Candidus ille viget morum tenor, & pia vitæ
Simplicitas, nullis eſt labefacta notis.
Parſque tui melior, rabiem prædonis iniqui
Deſpicit, ac diras igniferaſque minas.
Nanque ſacros inter celebraberis ecce poëtas,
Seraque poſteritas ſcripta diſerta leget.
Et clarum toto ſtabit tibi Nomen in Orbe,
Donec in æquoreas & Taïs ibit aquas.
Dura fuit rerum iactura (vt conſtat) at illud:
Triſte magis, ſcripta heu tot perijſſe tua.
Namque bona, & gemmas, nummoſque & prædia ſi quis,
Perdidit, hæc aliqua ſunt reparanda viâ.
Caſus, & indulgens hominum præſentia, multis
Amiſſas duplici fœnore reddet opes.
Quis tibi reſtituet, non exemplaribus vllis
Tradita per longas tot monimenta moras?
Quòſit, vt indigner doleamque, impunè quod auſus
In te ſit tantum Barbarus ille nefas.
Ille ſacras ædes potuit ſpoliare, Deoſque,
Qui vertit rabidas in tua damna manus.
Non illum pudor, aut pietas, aut gratia mouit,
Nec vindex magni terruit ira Dei.
Et bona Pieridum dextro tibi Numine parta,
Sacrilegâ clepſit liuidus ille manu.

Eiuſdem

Eiuſdem in eundem.

ORnat te, facilis cohors Camænæ,
Ornat Caſtalidum nemus benignum,
Nutrijt te ſapiens Apollo lacte:
Secli crede caput colit Minerua.

Eiuſdem ad Libellum

APOSTROPHE.

DEſpice parue liber, morſus liuoris edaces,
Regis nanque tibi contigit ore legi.
Maxima perpetuæ referes præconia laudis,
Carmina iudicio dum probat ipſe ſuo.
Semper inextincti diuino carmine vatis
Quod peritura tulit dextera, viuet opus.

PROLOGVS,

In Iobum.

ANtiquæ laudis, & ineffabilis boni, res est; Oracula diuina, populo orientali Hebræo, Linguâ Hebræâ concredita (vnde omnis diuini verbi veritas, & certitudo, ad nos propagata est) à Græcis interpretibus inter alias gentes fuisse diuulgata. Æternæ laudis est, Magnum illum Primitiuæ Ecclesiæ Patrem, Hieronymum, eadem Oracula ex Hebræo fonte, in linguam Latinam traducta, Ecclesijs Christi Occidentalibus primò reuelasse. Inde, quanta luce verbum diuinum, consequentibus aliquot sæculis refulsit, tantis postea tenebris obscuratum est, quando linguarum sacrarum, & interpretationis, Diuinum donum negligi cœpit, ac diu admodum cessauit. Tandem verò, à clarissimorum istorum luminum Santis Pagnini, Theodori Bezæ, Immanuelis Tremellij, & Francisci Iunij, (præter alios insignes) exortu, cœpit lux Verbi Dei, per ipsorum labores, & vtriusq; Paginæ Sacræ, orthodoxas & probatissimas versiones, rursus inualescere, vt quum procedit Sol in robore suo: Quos ob id, immortalis gloriæ memoria prosequuta est, & prosequetur in sæculum. Etenim ex recta verborum intel-

ligentia, rerum cognitio certior dependet: Sic eorundem ignoratio, ceu falsum speculum, res fucatas & falsas menti objcit, & speculantem eludit, vt inepti planè sint, qui sine huius idiomatis adminiculo, diuinas res tractent, aut se illas enarrare posse præsumunt. Quæ opinio, mater est omnium absurditatum, quibus (proh dolor) Christianismus nunc scatet. Vnde omnium auribus dignum est, quod de hoc vir magnus scripserit. * Plerique ex veteribus, etiam eruditissimis, sacrarum literarum interpretibus, Hebræorum idioma, non modò non tenuerunt, sed etiam contempserunt: quæ res fecit, vt plerisq; in locis, miserabiliter sanè cæcutierint. Haud dubiè sciunt docti, & qui saniores rei literariæ nomina dederunt, idq; ne subleſtâ fide, quàm vtilis, imò quàm necessaria sit, etiam in vtroque fœdere ac instrumento, sacrarum literarum cognitio. Hoc animaduertere licet apud Chaldæos, Syros, Græcos, Latinosque interpretes, qui non rarò à genuino verborum Hebraicorum sensu aberrarunt. Verborum nanque intelligentia, rerum cognitionem præcedat necesse est, ne verbis non intellectis, res falsas pro veris comprehendat, & alios secum in errorem ducat; quod multis periculosè accidit. Nulla enim rerum cognitio, absq; verborum intellectu, tam certa vnquàm esse potest, quin aliquando aut imperfectior, aut dubia, aut certè falsa sit. Hoc, veritas est, cui pauci in hoc negotio aures aduertunt. Atqui

* Beza, Matth. 16. 13 in magnis annot.

vt

vt plerique omnes ad huiusce boni perfectionem contendentes, singularum vocum proprietatem, & varietatem explicare voluerunt; Duo tamen defectus continuò manserè, qui hactenᵒ nunquam satis dignè sunt expleti: Prior, qd. de coniuncti sermonis ratione, et Hebraïsmorum explicatione, in quibus purior linguæ nitor, & vera elegãtia percipitur, pauciſsimi fuerunt ſolliciti. Alter, qd. in ſolo Biblico ſermone explicando ſubſtiterunt; neq; in alia etiã Hebræorum ſcripta, & adminicula neceſſaria penetrarunt. Ignorantia, hîc plerumq, comitem contemptum habuit. In Hebraïſmis quippe, vis & impia orationis, ſingularis; vſus inſignis, ornatus varius deprehenditur. Ibi, certa aliqua loquendi proprietas, ſæpè magnarum controuerſiarum momenta, dextrè diuellit. Verùm, vt & virtus, & vir bonus, menſura rerum omniũ eſt, (vt ſcribit Philoſophus, Ethic. 9. cap. 4.) Sic Author, quaſi alter ſcientiarum, & linguarum ſacrarum Orbis, in hoc ſuo lobi volumine, ad veritatis Hebraïcæ fontem atq; normam omnia dimetiens, ſeſe omnino conformauit; opere, dextrè quidem & ſcienter exprimit, ac vſu publico in aliorum commoda conuertit: In quo quidem, ſermonis coniuncti modos perſpicuè illuſtrat, Hebraïſmos exulantes explanat, & poëſeos Hebraïcæ numeros, Poeticè quidem, grauiter & eruditè imitatur. Non tantum enim proſaicè (vt loquuntur) ſed & metricè, aliquot veteris teſtamenti libri, vt Iobi, Pſalmorũ Prouerbiorum, qui tres libri, Hebræis אמרת dicti ſunt,

fed & alij ſcripti leguntur, vt Eccleſiaſtis & Canticorum; Qui quinq, libri Poëtici, nuncupati ſunt, tertiam Bibliorum partem complectentes: Quinetiam metricè conſcripta ſunt, Sanctorum quædam Cantica, vt Iſraëlitarum Exo. 15. Moſis Deut. 32. Deboræ & Barak, Iud. 5. Hannæ 1. Sam. 2. Habacuci Hab. 3 & alia, vtpote Dauidis, Eſaiæ, Ezekiæ, Iirmeiæ, &c. Quippe placuit Deo, quandoq; ſolutâ, ſimplicíq; oratione, ſuam voluntatem hominibus, per homines ſanctos & propheticos aperire, quandoq; numeroſâ & conciſa, quæ breuitate ſua, ingens præſtaret memoriæ ſubſidium, & piâ modulatione (quæ ad eam ferè accedebat) ad animos ardenti pietatis ſtudio afficiendos, & ſuauibus cantionum modulis leniter demulcendos & delectandos, adminiculum ſuppeditaret efficaciſſimum. Vnde de poëſeos dignitate & antiquitate, (quæ ſane ſummum quiddam ſacrum & diuinum, teſte diuino Platone, ſemper ſpirat & ſuo ambitu complectitur) non eſt quod quiſquàm quærat; Quum nihil ipſo verbo Dei, ſcriptis comprehenſo (cum quo poëſis fuit publicata) nihil nobis diuinius, dignius, aut antiquius. Neque tamen tunc primum fuit nata; Quippe quæ cum ipſo ſermone populari orta, & vt Ariſtoteles loquitur in poetica, Elocutioni iam conſtitutæ, natura ipſa mox proprium adinuenit metrum: ſed vſus eius, præclaro excercitio confirmatus, & Dei laudibus conſecratus. Eſſe autem quædam ſcripta Biblica poë-

tica

tica, præter omnes Hebræos, etiam in Latina Ecclesia; B. Hieronymus, Christianorum omnium sui temporis Hebraicè doctissimus, in suo, in Iobum prologo testatur, dum scribit: A principio voluminis, vsq; ad verba Iobi, quæ tertio capite incipiunt, apud Hebræos, prosa oratio est. Inde vsq; ad versum septimum capitis vltimi, Hexametri versus sunt, Dactylo Spondæoq; currentes, & propter linguæ idioma, crebro recipientes & alios pedes, non earundem syllabarum sed eorundem temporum. Interdum rhythmus ipse, dulcis & tinnulus fertur, numeris pedum solutis, quod metrici magis, quàm simplex lector intelligunt. A supradicto autem versu, vsq; ad finem libri, paruum comma quod remanet, prosâ oratione contexitur. Quod si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebræos, & in morem nostri flacci, Græciq; Pindari, & Alcei & Sappho, vel Psalterium, vel lamentationes Ieremiæ, vel omnia fermè scripturarum Cantica comprehendi, legat Philonem, Iosephum, Originem, Cæsariensem Eusebium, & eorum testimonio me verum dicere comprobabit. Hæc ille. Iosephus, in fine libri secundi Antiq. Iud. de cantico Moysis & Israelitarum, scribit: Moses, carmen, laudes Dei, & ob præsentem fauorem, gratiarum actiones continens, hexametro versu composuit. Præter hæc, idem non obscurè demonstrat ipsum genus orationis, ab omnibus alijs libris diuersum, concisum scilicet & breuibus membris

conclusum, sublime, allegoricum, hyperbolicum, & quibuslibet figurarum luminibus illustre, quale ferè poeticum in omnibus linguis esse solet. Deniq; accentuum specialis, in libris istis & Canticis vsus, id euidenter euincit. Sunt enim ad metron & cantum ita accommodati, vt modulationem & numerum poeticum, singulari artificio olim regerent; qua in re sanctam Hebræorum antiquitatem, optimè excercitatam fuisse credendum. Quanto verò scientiùs, prisca Hebræorum sedulitas, in vero tàm variorum accentuum vsu excercendo versata fuit; tanto negligentiùs posterior Rabbinorum ætas, ab eo remisit, quæ vniuersum accentuum vsum, penè insuauis cantillationis arte concluſit. Si quæ autem alia dimensionis ratio in hac sacra poesi fuit, quàn fortasse occulta accentuum dispositio indicarit, ea inde à prisca illa vetustate, cum sapientibus Hebræis in oblionis sepulta iacet. Fuerit ergò hæc quasi infantia quædam poeseos istius sacræ, solo syllabarum numero circumscripta, quam popularis vsus, suauitate rhythmi & accuratiore dimensione expoliuit. Sic sanè & in alijs quibuslibet gentibus animaduersum est, primitiuam poesin, sine vlla longarũ vel breuium dimensione, solo rhythmo definitam fuisse. Vnde Quintilianus lib. 9 ca. 4 scribit, rhythmum, aurium mensurâ, & similiter decurrentium spatiorum obseruatione, esse generatum, mox in eo repertos esse pedes; Ante

enim

enim carmen ortum est, quàm obseruatio carminis: indè illud, — Fauni vatésque canebant.

Sed cùm metri sacri modus numerúsq; artificiosus, post prophetarum tempora negligi cæperit, ac tandem decrescente magis, magisque priscâ Hebræorum sapientiâ, heu pudendâ nimis apud eos obliuione sit deletus, Tota illa poesis sacra, ac prosodia planè diuina, quâ Iudæorum vetustissimi in synagogis et sacris decantandis vsi sunt, situ et squalore prorsus obducta iacuit; vimque, vsum, et ornatum peculiarem penitus ferè amisit. At ne quis putet accentuum vsum, solùm metricum esse, & poëticæ peculiarem; Sciendum est, Accentuum vsum in sacris literis vniuersalem esse, neque tantùm poeticis, sed Pentateucho, Prophetis, aliísque solutâ simplicique oratione conscriptis libris Biblicis, vsui esse maximè antiquo & perneccssario. Quanquam enim puncta vocalia, à Masoritis non ita pridem inuenta esse, ex Elia intelligitur, annis nempe à Christo quadringentis septuaginta sex; ad tollendam illam vetustam confusionem trium istarum literarum אהי quæ apud Hebræos olim pro omnibus vocalibus fuere, (vnde etiam Hebræis matres lectiones appellatæ sunt) & consonis etiam notandis, nihilominus seruiebant, iuxta illum Latinarum literarum, I. & V, abusum hodiernum: longe tamen alia est Accentuum apud Hebræos ratio & dignitas, vsus vetustis-

tuſtiſſimus, et maximè neceſſarius, quorum myſticam illam, ſacram & arcanam diſpoſitionem, Moſes ipſe & Prophetæ vno conſenſu adſcripſerunt, ac ſi vna & eadem hora additi eſſent; imo cum ipſo Decalogo & tota ſacra Scriptura, ab origine nati ſunt & exorti: Vnde celebris illa ſapientis, Aben Ezræ, Rabbinorum omnium longè doctiſſimi ac præſtantiſſimi ſententia; Quæcunq; expoſitio non fuerit iuxta rationem accentuum, ne acquieſcito, neque audias eam: Author enim accentuum, nouit expoſitionem melius quàm ipſe. Et alibi: Momentum magnum eſt, obſeruare rationem accentuum, leſ. 1. 9. Sic R. Salomon Iarchi, in commentarijs ſuis Biblicis, plurimis locis ſcribit, Accentus ſcripturæ euincit hoc, cùm ſcilicet, accentuum diſtinctione preſſus, coactus fuit hoc vel illo modo exponere. Sic Ezech 1. ad v. 11. ſcribit: Niſi vidiſſem accentum Sakeph gadol punctatum ſuper vocem רפניהם non ſciuiſſem exponere eam: accentus enim iſte docuit me, ſecernendā iſtam vocem à ſequente, &c. Hoc etiam Hebræi, à Moſe, primo ſuo in lege diuino præceptore, inſtitutum eſſe ſcriptis teſtantur: Vnde & in hodiernum diem, cùm Sacra, diebus Sabbathinis, atque alijs feſtis agunt, Paraſchas & Haphtaras, id eſt, ſectiones, ſiue lectiones Moſaicas, & Propheticas, iuxta accentuum rationem modulantur et cantillant, nunquam moderatè legunt. De genere autem

Carmnis

Carminis, quo Iobi liber iſte, vt & reliqui libri אמת dicti, (Pſalmi nempe & Prouerbia) conſcripti ſunt, & quodnam in illis metri genus ſit; id deprehenſum eſt, non in verſibus ipſis, ſed in horum ſingulorum membris comparatis, conſiſtere. Verſus vero omnis plerunque bimembris eſt, rarò trimembris. Et in membris, numerus tantùm ſyllabarum, (teſte doctiſſimo Schindlero) non quantitas, nec rhythmus, niſi is caſu inſit, conſideratur. Ac ſcheua mobile, ſicut & patach aſcititium, pro ſyllaba computatur. Duo igitur ſunt carminum genera: Vnum, quando in verſu bimembri, aut trimembri, membra ſunt æqualia, hoc eſt, numero ſyllabarum conueninut. Et hoc genus, à membrorum numero, bicolon, aut tricolon; ab eorundem æqualitate, Iſoſceles, metaphorâ geometricâ, & à numero ſyllabarum, heptaſyllabum, octoſyllabum, enneaſyllabum, decaſyllabum, ſicut hendecaſyllabum poteſt appellari. Nec me quidem fugit, quoſdam eſſe terræ filios, Edomitas potius quàm Iacobæos, hoc eſt verè Iſraëlitas, qui poeſin omnem, quâ quid diuinius? aut corrupto ſuo iudicio prorſus ſpernant, aut ſaltem, prophanarum rerum admiratione capti, nullum carmen aptum exiſtiment, ſi deſint Theſpiades, Ioues, Veneres, Lædæ, & fabuloſa id genus Græcorum commenta. Sed ne Iupiter quidem ipſe (vt in prouerbio eſt) omnibus

placet. Et cur non etiam, diuinum poëma, poëmate reddi conuenit? Hæc autem poesis sacra, si rem ipsam, dignitatem, prudentiam, constantiam, patientiam & admirabilem Dei gloriam, ac omnipotentiam spectes, singularis est, & prorsus diuina; vtpote creationis, redemptionis, resurrectionis, et administrationis Diuinæ prouidentiæ. Sacra et cælestis Epitome, in Ecclesiæ & membrorum eiusdem bonum et oblectatmentum suauissimum, contra omnes eiusdem afflictiones, miserias et ærumnas quantumuis graues. Continet autem insignia multa, Christianæ religionis et Doctrinæ capita; vtpote de piorum afflictione, de prospero, hypocritarum (pro tempore) et impiorum statu, de secretissimis Dei iudicijs, de singulari prouidentia, rerum omnium moderatrice, de infinita clementia et misericordia Dei, de benigna piorum restitutione ab ærumnis, et ad æternam vitam resurrectione. Quæ omnia manifestissimè arguunt, Christum Seruatorem diuo Iobo agnitum fuisse. Quem enim Iudiciorum Dei metus non opprimeret, nisi in Christo bene sperare disceret? Cui clementia illa infinita innotesceret, nisi agni sanguine esset delibata? Resurrectio autem nullo modo constare posset, nisi Seruator viuificam vim resurgendi, mortuis corporibus nostris indidisset. Et capite, de morte, triumphante, membra ipsius non sunt interitura. Quæ omnia, tam

accuratè

accuratè, tamque eruditè, tot comparationibus appositis, tanquam flosculis dicendi describuntur; vt in ea sententia sim, quamuis hæc reuera gesta sint, ac non per parabolam proposita; Librum tamen hunc ab ipso Iobo, aut ab aliquo alio, prophetico spiritu inspirato, post recuperatam Iobi valetudinem, concinnatum fuisse, strictoque sermone, & numeris, in Dei gloriam, fuisse ligatum: Quæ omnia, ex tempore loquentibus, vsuuenire non solent. Quare, cùm tota cælestis Theologia, in vera Dei, nostriq; cognitione sita sit; Habemus hîc thesaurum (vt inquit Ambrosius) virtutum omnium, Speculum naturæ diuinæ, administrationis, & gratiæ, cum vanitatis, tum officiorum nostrorum omnium indicem & πάγχρηστον σύνταβον: in quo explicatam cernas, totius hominis & ψύχικε, & spiritualis anatomen, hortum animæ Christianæ & odoramentorum omnium instructissimam παραδείσου, medicamentorum officinam, certissimumque (vt Epiphanij verbo vtamur) παναρίου. Quamobrem (vt cum Arnobio loquamur) hunc sacræ Scripturæ laticem haurientes, eos omnes qui Spiritu Sancto videntur ebrij, & qui reipsa participes sunt cælestium donorum eius, obnixè rogamus, obsecramus ac per Sanctissimum Nomen Domini nostri Iesu Christi, & gloriosum ipsius aduentum, vt nulla tamen sitientibus impedimenta patiantur inferri, Authoris studium gratioſè

& beneuolè probent, tanquam à Deo inditum, laborem lubenter accipiant, vt Deo Sacrum; rem denique ipſam religioſè ac indeſinenter colant, vt diuinam ortu, argumento & fructu venerandam, ac alienæ induſtriæ, quoad eius fieri poteſt, parcant; quodq; ſibi nolint, alteri ne fecerint. Hunc animum, Deus omnibus nobis largiatur, qui ſanctimoniæ et charitatis officijs, ex promiſſo benedicturus eſt in Chriſto Ieſu. Amen.

Lecto-

Lectori Pio & Beneuolo.

IObi librum, metro constrictum, Author primus conscripsit, Biturigibus Gallorum (vbi iuri ciuili tunc operâ dabat) ante annos quadraginta septem, in ipso belli ciuilis furore & incendio, in cœnaculo (vt fert ipse) apud hospitem Biturigensem, quotidiano vitæ periculo septem menses delitescens, dum Martyrij Parisiensis rabies conflagraret, misitque Lugdunum ad Rouillium, typis excudendum, vnà cum tragædia illius Herodis, qui ab Angelo percussus; teterrimè expirauit, sub eodem etiam tempore ab authore conscriptâ atque aliud exemplar, apud veterē amicum Lambinum, Parisijs prælectorem Regium, amicè deposuit. At cum temporis iniuriâ, & summa Regni rabie in orthodoxos Christianos, non licuit ibidem vlterius consistere, nec Lugdunum, Lambinum, aut Rouillium inuisere, chartis omnibus, schedisque, rebus desperatis, vrgente necessitate relictis, & vasibus (quod aiunt) minimè conclamatis, in patriam, non sine summo vitæ discrimine, confestim & oportunè se contulit. Inde haud multo post, demortuo vtroque, Rouillio, simul-

ſimulatque Lambino, ſchediſque hinc inde omnibus, eadem cõmuni calamitate diliectis, vtrunque haud dubiè exemplar perijſſet, niſi multis poſt Lambini mortẽ annis, Henrici Blacuodæi, Scoti, doctiſſimi medici operâ, inter diſiectas Lambini ſchedas, liber hic repertus, ad Authorem, amiciſſimâ atque optimâ fide, ſaluus & integer in Scotiam tranſmiſſus foret. Quo quidem libello apud eum quotannis reſeruato, donec occaſio ſuppeditaret oportuna, vt cum alijs authoris operibus prelum ſubiret, hucuſq; publicum nondum accepit. In hoc autem argumento, author primus fuit, nec ante hunc quiſquam (quod ſciam) tentauit, vtcunque alij fortaſſis, non ita pridem hũc inſequi conati ſunt. At in re poëtica quis ſit, quantuſue, res ipſa loquitur. Hoc vnum audeo affirmare, Neminem nec Theologię ſcientiâ, fidei Chriſtianæ analogiâ, Sacræ paginæ notitiâ, neque linguæ ſanctæ genuinâ ac orthodoxâ verſione, ex idiomatis proprietate, nitore ac puritate (quod citra cuiuſquam contumeliam dictum velim) ſimile quid tentaſſe. Hunc natura [illegible], hoc eſt pulchri & honeſti ſtudioſum finxit; cui vera inſidebat [illegible], animi ſcilicet tranquillitas, in quo virtutis omnis bractea,

bractea, & ſeminariũ quoddã; naturali ſua indole, medullitùs quidẽ (vt plautina voce vtar) & diuinitus inhærebat; cũctis animi & corporis dotib⁹ prædítus, & iuxta M. Tulliũ, naturæ munerib⁹ adeò ornatus, vt nõ natus, ſed à Deo fictus videatur; & cui arte benigna (vt fert Iuuenalis) & meliore luto, finxit præcordia Titan: Diuinus Theologus, linguæ ſacræ ſui temporis Coriphæus, Orator ſummus, ſuadendo aptiſſimus; Poeta inſignis; fœlix in eo calor, cultus non inuiſus, temperatum iudicium, dictio candida, numeri non affectati; vſu rerum, prudentiâ & experientiâ plurimum pollens, & quaſi alter ſcientiarum & linguarum orbis, nihil hominem latuit; immo quod omnium maximè mirum & rarum eſt, rei ſemel lectæ ſeu auditæ, obliuiſci nunquam potuit. O quæ profuſiſſimæ lachrymæ, tantum literarum decus, gentis ſuæ illuſtriſſimum lumen, tantam prudentiæ affluentiã, morte, in vno illo extinctã, ſatis dignè vnquam deflere poſſunt! Hunc Iobi libellum, conſtantiæ & patientiæ ὑποτυπον, ad veritatis Hebraicæ fontem atque normam dimetiens Author, poëticè conſcripſit, & Iobi poëma diuinũ, ſacro primitus idiomate, metricè & poëticè ſcriptum; poëmate (vt par eſt) & numeroſo ſty-

lo

lo reddidit, quasi illam Hesiodi παράφρασιν, ipsumque eiusdem μεταποίησιν. In quo, poëseos Hebraicæ numeros, numerosè quidem, artificioſè & eruditè imitatur. Quod si legentium animis morositas absit & δυσκολία, auribus suis minimè indignum existimamus. Hunc igitur, quasi Iobum ipsum loquentem exaudiamus, & ea qua meruit dignitate excolemus. Adieci etiã huic operi, ne quid ad euidentiorem rei subiectæ notitiam deesset, libri & singulorum capitum argumenta ex optimis quibusuis scriptoribus deprompta; adscriptis etiam cuiusuis paginæ frontispicijs, rei subiectæ, paginâ tractatæ, Epigraphis. Vale, pie Lector, & alieno labori parce. Regiâ Regni nostri, Edinoduno, Pridie Cal. Augusti 1617.

Tui Studioſiſsimus,

Tho. Volusenus.

SVmma huius Libri, hæc esse videtur. Eos grauiter in Deum peccare, qui de hominum iustitia, vel iniustitia, ex fælicitate aut infælicitate, ipsis à Deo immissa, iudicium faciunt. Nam quemadmodum sæpè fit, Deo ita volente, vt mali, hominum iudicio prosperè agere videantur: Sic etiam Deum, suos aliquando, licet cæterorum comparatione iustos & innocentes, grauiter affligere, non vt eorum peccata & iniustitiam vlciscatur, sed potius vt eos probet, & suam in ipsis gloriam manifestet. Sed & bonos, quamlibet afflictionibus oppressos, non debere cum Deo, de iniuria expostulare, etiamsi iustitiam suam & innocentiam coram hominibus tueri possint: nec ideò minus iustum esse Deum, quod vulgò nesciant homines, quare id agat quod sibi visum est; quippe ipsi iustitiæ suæ rationem constare, quam nulli reddere teneatur: item, licet calamitates plerunque, mentes hominum, de rationis sede deiciant, & ad impias voces & querellas quodammodo adigant, si tamen postea erroris pœnituerit, misereri Deum protinùs, & ablata in duplũ restituere. Denique, Deum tàm facilè ignoscere eorum imbecillitati, qui inter aduersa labuntur, quàm impatienter eorum fastum & arrogantiam ferat, qui de alijs temerè iudicant, & quasi dominicarum rationum calculum inneunt.

De Patientia: Sacræ Scripturæ Testimonia.

Patiens Deus, Exod. 34. Rom. 15.
Patientiâ ſua, prouocat Deus ad pœnitentiam. Rom. 1.
Patientia Dei, erga Paulum. 1. Tim. 1.
Patientiæ exemplum, Prophetæ. Iacobi. 5. cap.
Patientia Iob. Iobi. 1. verſ. 20. 21. 22. Iobi item 12. verſ. 1. 2. 3. 4.
Patientiæ commendatio. Prou 16.
Patientes ſimus. 1. Theſ. 5. cap.
In Patientia fructum referentes, Luc. 8.
Patientia in tribulationibus. Heb. 10.
Vt patiamur exemplo Chriſti, vocati ſumus. 1. Pet. 2. & 4.
Pati propter iuſtitiam. 1. Pet. 3. c.
Patientes, imò miſeri ſimus, vt fœlices efficiamur.

Iob. vnde dictus, eiuſque deſcriptio. Iobi vita, & Acta.

Iob. gemens, dolens. à nominis Etymologia deſcribitur: cuius vita, & acta deſcribuntur è Libro ipſius, quem imitari debemus in patientia. Iacob. 5.

Teſti-

Testimonia, à Christo & Apostolis, de Iobo citata.

S. Iacobus, cap. 1. vers. 12.

BEatus est vir, qui sustinet tentationem: quoniam probus compertus, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus ijs à quibus ipse diligitur. Nemo quum tentatur, dicat, à Deo tentor: Deus enim non tentatur in malis, & ipse hominem non tentat. Sed quisque à concupiscentia sua tentatur, & allicitur & attrahitur. Iob. 5.

Eiusdem B. Iacobi, cap. 5.

PAtiente igitur animo estote, Fratres, vsque ad Domini aduentum. Ecce, agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter animo eum expectans, dum accipiat pluuiam matutinam & serotinam. Patiente animo estote & vos, & stabilite corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquat. Ne suspirate alius aduersus alium, fratres, vt ne condemnemini. Ecce iudex ante fores adstat. Sumite, fratres mei, pro exemplari vexationis, ac patientis animi, Prophetas qui loquuti sunt in nomine Domini. Ecce beatos prædicamus eos, qui aduersa sustinent, tolerantiam Iob

audiſtis, & finem Domini vidiſtis. Nam abundat intimâ miſericordiâ Dominus, & eſt miſerator.

Cor. 1. cap. 3. verſ 19.

Sapientia mundi huius, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim. Carpit ſapientes in verſutia ipſorum. Iob. 5. verſ. 13.

Timoth. priore cap. 6. verſ. 7.

Nihil intulimus in hunc mundum, videlicet nec efferre quicquam poſſumus. Iobi. 1. verſ. 21.

Iob. 1. Iob 5. Iob. 13.

Corripit Deus iuſtos, in bonum.

Iob. 13.

Homo, folium impulſum & ſtipula arida.

Iob. 26.

Deo nihil eſt ab homine adiutorij.

B. Hieronymus.

VEteris Teſtamenti Libros, Chriſtus Ieſus, in Legem, Prophetas, & Pſalmos, ſimpliciſſimè partitus eſt, Matthæi ſeptimo, vndecimo, &

& viceſimo ſecundo, ac Lucæ vltimo. Hæc ſunt, inquit, verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum; quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, & Prophetis, ac Pſalmis, de me. Quam diſtinctionem ſequuti ſunt Apoſtoli, Patreſque noſtri Latini. Nec ab hac aliena eſt Hebræorum diſtinctio; Thorath, vocantium legem: Nebjim, Prophetas; Chetubim, Hagiographa: Inter quæ, Iob, & Pſalmi Dauid numerantur. Iob autem in terra Huſitidi habitaſſe fertur, in finibus Idumęę & Arabię, cui erat ante nomen Iobab. Et Accepit vxorem Arabiſſam: & genuit filium, quem vocauit Ennon. Erat autem ipſe filius quidem Zarę, de Eſau filijs, filius: de matre verò Boſra; ita vt ſit quintus ab Abraham. Et hi ſunt Reges qui regnauerunt in Edom, in qua & ipſe regnauit: Sed primus in ea regnauit Bela, filius Beor: & nomen ciuitatis eiuſdem Denaba. Poſt hunc autem Bela, Iobab, qui vocatur Iob. Poſt Iob autem, Huſam, qui erat Dux, ex Themanorum regione. Et poſt illũ regnauit Adad, filius Badad, qui excidit Madian, in campo Moab: & nomen ciuitatis eius Auith. Iob verò, exemplar patientiæ, quæ non myſteria ſuo ſermone complectitur? Proſâ incipit, verſu labitur, pedeſtri ſermone finitur: omneſq; leges

Dialectica; Propoſitione, aſſumptione, confirmatione, & concluſione determinat. Singula in eo verba, plena ſunt ſenſibus. Et (vt de cæteris ſileam) reſurrectionem corporum ſic prophetat, vt nullus de ea vel manifeſtiùs, vel cautiùs ſcripſerit. Scio, (inquit) quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die, de terra ſurrecturus ſum: & rurſus, Circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

Iob. 14. verſ. 15. Iob. 19. verſ. 25. 26. 27.

Idem S. Hieronymus.

MEmini me ob intelligentiam huius voluminis, Lyddæum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non paruis redemiſſe nummis: Cuius doctrinâ, an aliquid profecerim, neſcio: Hoc vnum ſcio, nõ potuiſſe me interpretari, niſi quod ante intellexeram. A principio itaque voluminis, vſque ad verba Iob, apud Hebræos, proſa oratio eſt. Porrò à verbis Iob, in quibus ait, Pereat dies, in qua natus ſum; & nox in qua dictum eſt, Conceptus eſt hõmo: vſque ad eum locum, vbi antè finem voluminis ſcriptum eſt: idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere: Hexametri verſus ſunt, dactylo, ſpondæoq; currentes.

rentes: & propter linguæ idioma crebrò recipientes & alios pedes, non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum. Interdum quoque rhythmus ipſe dulcis & tinnulus fertur, numeris pedum ſolutis: quod metrici magis, quã ſimplex Lector intelligunt. A ſupradicto autem verſu, vſq; ad finem libri, paruum comma quod remanet, proſâ oratione contexitur. Quod ſi cui videtur incredulum, metra ſcilicet eſſe apud Hebræos, & in morem noſtri flacci, Græcíque Pindari, & Alcæi: & Sapphus, vel Pſalterium, vel lamentationes Ieremiæ, vel omnia ſcripturarum cantica comprehẽdi; legat Philonem, Ioſephum, Originem, Cæſarienſem Euſebium; & eorum teſtimonio me verum dicere comprobabit.

Eiuſdem ad Tobiæ cap. 11.

HAnc autem tentationem ideò permiſit Dominus euenire, vt poſteris daretur exemplũ patientiæ eius, ſicut & Sancti Iob. Nam cùm ab infantia ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei, ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ. Nam ſicut, beato Iob inſultabant Reges; ita, iſti parentes & cognati eius, irridebant vitam eius, dicentes: Vbi eſt ſpes tua,

pro

pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas? &c.

Eiusdem Diui Hieronymi Ad Lætam. Tom. 2. De Sacræ Scripturæ lectione.

DIscat primò Psalterium; His se canticis auocet: & in Prouerbijs Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat, quæ mundi sunt calcare. In Iob, virtutis & patientiæ exempla sectetur, &c.

Idem, in cap. 6. Epist. ad Galat.

IN præsenti sæculo scimus, siue orationibus, siue consilijs inuicem posse nos adiuuari. Quum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam, sed vnumquemq; portare onus suum.

Idem, in Iob. cap. 26. De vera Catholica Ecclesia.

IPsa Ecclesia, quæ est Sanctorum omnium congregatio, pro æterna sibi in Domino stabilitate, Columna & Firmamentum dicitur veritatis.

Clemens Alexandrinus.

ΚΑίτοι καὶ Ἰὼβ ἐγκρατείας ὑπερβολῇ, καὶ πίστεως ὑπεροχῇ, πένης μὲν ἐκ πλουσίου ἄτιμος δὲ ἐξ ἐνδόξου, αἰσχρὸς δὲ ἐκ καλοῦ, καὶ νοσερὸς ἐξ ὑγιεινοῦ γενόμενος, ἡμῖν τέσσι παράδειγμα δικαιογραμμένος· δυσωπῶν τὸν πειρήσαντα. εὐλογῶν τὸν πλάσαντα· φέρων οὕτω τὰ δεύτερα ὡς καὶ τὰ πρότερα· διδάσκων εὖ μάλα τοῖς περιστατικοῖς, ἅπασιν οἵοντε εἶναι καλῶς χρῆσθαι τὸν γνωστικόν.

Q Se

O Fæliciſſimum illum quoq;, qui omnem patientiæ ſpeciem, aduerſus omnem Diaboli vim expunxit: quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij, vno ruinæ impetu adempti, non ipſius denique corporis in vulnere cruciatus, à patientia, fide Domino dedita, excluſit; quem Diabolus totis viribus fruſtrà cęcîdit. Neque enim à reſpectu Dei, tot doloribus auocatus ille eſt, ſed conſtitit nobis in exemplum & teſtimonium, tàm ſpiritu, quàm carne, tàm animo quàm corpore, patientiæ perpetrandæ: vt neque damnis ſęcularium, nec amiſſionibus cariſſimorum, nec corporis quidem conflictationibus ſuccidamus. Quale in illo viro feretrũm, Deus, de Diabolo extruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit, quum ille homo ad omnem aceruum nuntiorum, nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias, quum vxorem iam malis delaſſatam, & ad praua remedia ſuadentem execraretur? quid? ridebat Deus. quid? diſſicabatur malus; quum Iob, immundam vlceris ſui redundantiam, magna æquanimitate diſtringeret, quũ erumpenteis beſtiolas in eoſdem ſpecus, & paſtus foraminoſæ carnis reuocaret. Itaque operarius

rarius ille victoriæ Dei, retusis omnibus iaculis tentationum, lorica clypeoque patientiæ, & integritatem mox corporis à Deo recuperauit, & quæ amisit, centuplicata possedit. Et si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur: sed noluit in illo die reddi sibi tantum gaudij; securus de Domino, distulit. Sustinuit tàm voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret. Adeò satis idoneus patientiæ sequester Deus.

D. Cæcil. Cyprianus lib. De bono Patientiæ.

SIc Iob examinatus est, & probatus, & ad summum fastigium laudis, patientiæ virtute prouectus. Quanta aduersus eum, Diaboli iacula emissa? Quanta admota tormenta? iactura rei familiaris infligitur, numerosę sobolis orbitas irrogatur: diues in censu dominus, & in liberis pater ditior; nec dominus repentè, nec pater est. Accedit vulnerum vastitas, & tabescenteis ac fluenteis artus, edax quoque vermium pœna consumit. Ac ne quid omnino remaneret, quod non Iob in suis tentationibus experiretur; armat Diabolus & vxorem, illo antiquo nequitiæ suæ vsus ingenio, quasi omneis per mulierem decipere posset & fallere, quod fecit in mundi origine:

gine: nec tamen Iob, grauibus ac denſis conflictationibus frangitur, quò minus inter illas anguſtias & preſſuras ſuas, Dei benedictio, victrice patientiâ prædicetur.

D. *Auguſtinus, lib.* 18. *cap.* 47. *De Ciuit. Dei.*

NEc ipſos Iudæos exiſtimo audere contendere, neminem pertinuiſſe ad Deum, præter Iſraëlitas, ex quo propago Iſraël cepit eſſe, reprobato eius fratre maiore. Populus enim reuera, qui propriè Dei populus diceretur, homines autem quoſdam, non terrena, ſed cæleſti ſocietate, ad veros Iſraëlitas, ſupernæ ciueis patriæ pertinentes; etiam in alijs gentibus fuiſſe, negare non poſſunt: quia ſi negant, vincuntur de Sancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proſelytus populi Iſraël fuit, ſed ex gente Idumæa genus ducens; ibi ortus, ibidem mortuus eſt: qui diuino ſic laudatur eloquio, vt quod ad iuſtitiã, pietatemq; attinet, nullus ei homo ſuorum temporum coæquetur. Quæ tempora eius, quamuis non inueniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro eius, quem pro ſui merito, Iſraëlitæ in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione poſteriorem fuiſſe quàm Iſraël. Diuinitùs autem prouiſum fuiſſe non dubito, vt ex hoc vno ſciremus etiam per alias gentes eſſe

potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritalem Hierusalem.

Sulpitius Seuerus, lib. 1. Historiæ Sacræ. Cùm Hebræorum in Ægypto seruitutem descripsisset.

HOc, inquit, tractu temporis Iob fuit, lege naturæ & agnitionem Dei, & omnem iustitiam complexus: prædiues opibus, atque eo illustrior, quod ijs neque integris corruptus, neque amissis deprauatus est. Nam cùm per Diabolum exutus bonis, filijs etiam esset orbatus, ad extremum diris vlceribus esset affectus, non potuit vinci, vt prę doloris impatientia, aliqua in parte peccaret. Mercedem denique diuini testimonij consecutus, sanitati redditus, omnia quæ amiserat, in duplum recepit.

B. Theodoretus Quæst. in Genesim.

Ο Ιὼβ πόθεν κατάγει τὸ γένος; ἀπὸ τοῦ Ησαῦ. τοῦτο γὰρ ἡ κατ' αὐτὸν ἱστορία διδάσκει· ἄνθρωπος γὰρ ἦν, φησὶν ἐν χώρᾳ τῇ ὑσίτιδι. διδόλωκε δὲ τοῦτο καὶ ὁ μακάριος Μωϋσῆς. τῶν γὰρ ἐκ τοῦ Ησαῦ βεβασιλευκοτῶν τὰς διαδοχὰς συγγράφων οὕτως ἔφη. ἀπέθανε δὲ Βαλαὰμ, καὶ βασιλεὺς ἀντ' αὐτοῦ Ιωβὰβ υἱὸς Ζαρᾶ ἐκ βοσύρας. συμφωνεῖ δὲ ταῦτα τῇ τοῦ Ιὼβ ἱστορίᾳ.

Gre-

ABraham, cùm centum eſſet annorum, genuit Iſaac. Porrò Iſaac, ſexageſimo ætatis anno, nati ſunt filij gemini de Rebecca. Primus Eſau, qui & Edom, id eſt, terrenus, qui propter gulam vendidit primogenita ſua. Ipſe, pater eſt Idumæorum, de cuius generatione quarta, natus eſt Iobab, hoc eſt, Eſau, Raguel. Zara, Iobab, qui & Iob. Is vixit annos CCXLIX. Octogeſimo nono, ab infirmitate liberatus eſt: poſt infirmitatem autem CLXX. annis, reſtituta in duplum omni facultate, cùm tot, quot perdiderat, filijs iocundatus eſt. Locus eſt Geneſ. cap. XXXVI.

Gregorius cognomento Magnus.

BEatus Iob, Sancto Spiritu aſflatus, potuit ſua geſta, quæ erant videlicet, ſupernæ aſpirationis dona, quaſi non ſua ſcribere: quia eò alterius erant, quæ loquebatur, quò homo loquebatur quæ Dei ſunt: & eo alter, quæ erant illius loquebatur, quo Spiritus Sanctus loquebatur, quę hominis ſunt.

Eiusdem, in cap. 16. Iobi lib. 13. cap. 8.

REdemptoris nostri sanguinem, quem persecutores sæuientes fuderant, postmodum credentes biberunt, eumque esse Dei filium prædicarunt: Sicut & maleficij exprobratus, & in Ludibrium traductus, Beatus ac Sanctus Iob, ab ijs immeritò, qui ob id, reatus iudicio, à Iehoua damnati sunt, & suę conscientiæ testimonio conuicti.

Idem in 39. cap. Iobi, lib. 31. cap. 21.

SAnguinem lambere, est Passionis Dominicæ infirma venerari.

De Authoris scriptis & lucubrationibus.

NE te lateat (Pie Lector) quas lucubrationes ac operosas vigilias Author conscripserit, has in vsum tuum subiungere visum est. Scripsit autem complura. Ac primùm aduersus Papismum, in crassiores eiusdem abusus; ac de superstitiosis papicolarum ineptijs. Catechesin etiam, τὰ στοιχεῖα τῆς πίστεως *complectentem, Ecclesiæ bono, in pietatis studiosorum gratiam, latino carmine redditam; vnà cum Augustiss. Ma*[tis], Iacobi, *Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hyberniæ Regis &c. Genethliaco, sub ijsdem quibus nunc titulis, ab authore prudentissimo, ac verissimo veri vatis insignito vaticino, apud Gallos Parisiis conscripto, & ibidem tunc typis audaciùs commisso. Scripsit etiam Biturigibus Gallorum, in ipso belli ciuilis furore & incendio, in cænaculo (vt fert ipse) apud hospitem Biturigensem quotidiano vitæ periculo septem menses delitescens, dum Martyrij Parisiensis rabies conflagraret, Iobi illam Historiam præclaram, patientiæ & constantiæ* ὀρθότυπον, *cum Tragœdia illius Herodis qui ab Angelo percussus, teterrimè expirauit. Vbi maximas persecutiones perpessus vir pius, & per omnes Galliarum prouincias, quasi summus Papicolarum hostis strictissima indagine indagatus, indies extremo vitæ dispendio vixit: Hospite intereà septuagenario è summitate turris suæ, ob hospitium miserè deiecto & præcipitato: Quod præ cæteris, pium virum anxiè tenuit. Tandem ad suos reuocatus, & ad fanum Andreæ (qui Regni Primatus est) Archiepiscopatu insignitus; vbi grauioribus lacessitus curis, sex de Politia Mosaïca libros, cum Ecclesiæ orthodoxæ hierarchia, solutâ oratione disertè conscripsit. Ex quibus lucidè constat, quantum ciuili scientiâ & Sacrarum literarum studijs polluerit. Scripsit etiam limato carmine Apocalypsin B. Iohannis, ac* ἐρευνήσιν, *seu scrutationem in eandem, quam commentaria vulgò vocant. Solomonis Ecclesiasten, de summo hominis bono concionem com-*

¶ *plecten-*

plectentem; quæ de vera beatitudine & rectis vitæ officijs præcepta continet. Vaticinia etiam Danielis, Ioëlis, Amosi, Abdiæ, Ionæ, Habaccuci, Haggæi: Complura etiam Poëmata sacra, aliaq; fragmenta, vtroque idiomate conscripta. Scripsit etiam de Politia, & disciplina Ecclesiastica: De veneranda Antistitum dignitate, & cum B. Paulo, Orthodoxa Episcopali authoritate. De eiusdem B. Pauli peregrinatione. Prælectiones etiam doctissimas, in vtranque ad Timotheum Theologicas, vnà cum scrutationibus in reliquas omnes Paulinas. Psillum, siue Psyllion, cum animaduersionibus in sectas Meluinianas. Apologiam, seu Libellum Apologeticum, pro Augustiss. Regia Mte anno 1584. aduersus pertinaces suæ Mtis obtrectatores mordacissimos, & malè feriatos. Apologiam contra suos æmulos. Orationes etiam Apologeticas, & funebres Illustriss. Matris Mariæ Reginæ, & insignium Regni Procerum. Regni etiam, totiusque Britanniæ Annales candidè conscripsit; quos ad extremum non perduxit. Scripsit etiam & alia complura, tam ad Religionem, quàm ad Reipub. statum pertinentia. Vltimò verò cum Threnis Ieremiæ carmine redditis, (vt quæ de calamitoso Sanctæ vrbis statu prodidit Propheta, suis nostrisque temporibus minimè aliena) & sacro simul enthysiasmate ac carmine planè diuino animam suam Deo commendans, diem feliciter clausit extremum. Quæ nisi summa temporis iniuriâ, & maleuolorum hominum odijs atque inuidiâ, huc illuc disiecta, in varias forent manus discerpta; iampridem in lucem prodijssent omnia: ac nunc demùm, Regiæ Mtis auspicijs felicissimis & authoritate fretus, Numine bene propitio, quot quot apud nos sunt aut ad manus nostras deferri contigerit, propediem apparebunt; & quod ipsi nostro Præsuli superstiti non licuerit, iusto penso, memoriæ eius, cum bono Deo persoluendum statui. Vale, pie lector, & Authoris industriæ, ac operosis vigilijs ingenuè Faue.

Tui Studiosissimus, THO. VOLVSENVS.

Quæ

Quæ hoc volumine continentur.

1 IOBVS,
SIVE
De Constantia. lib.

2 THRENI,
Ieremiæ. F. Elciæ. lib.

3 APOCALYPSIS,
Beati Ioannis Theologi.

4 GENETHLIACON
Augustiss. Regis, Iacobi Magnæ Britanniæ Fr. & Hyberniæ Regis, fideiq; assertoris & propugnatoris Strenui, &c.

5 CATECHESIS,
Religionis Christianæ, Augustissimo Regi, ab ipsa infantia Sacrata.

6 CONFESSIO FIDEI CHRISTIANÆ
Apud Scotos, per ordines & Regni status recepta,

cepta, ac publicis (vt aiunt) Regni comitijs approbata, solutâ oratione conscripta.

---

7 EPIGRAMMATA,
Authoris, quædam Selectiora.

8
9
10 EPIGRAMMATA.

Quædam Thomæ, ac Florentij Volusenj Selectiora. Cum Florentij Volusenj vita & morte, &c.

IOBVS:
SIVE,
DE
CONSTANTIA.

ARGVMENTVM LIB.

IOB, Sanctum exemplum patientiæ, plurimis & grauissimis calamitatib. probatus à Deo, & omni ope destitutus: duriorib. adhuc tentationib. ab vxore & amicis petitur. Nam illa quidem insanis ludificationib. exagitat virum: Hi verò à prouidentia & iustitia Dei sapientissima & potentissima; à peccatrice hominum natura, atq; à prima illa Iobi perturbati oratione coniecturam facientes; statuunt in singulis suis rationib. Iobum, aut maleficentissimè vixisse apud homines, aut hypocritam fuisse coram Deo: alioquin nunquam futurum fuisse, vt à Deo iustissimo tam graues plagæ infligerentur ipsi, Hæc summa propositionis illorum: status coniecturalis. Iob verò, etsi interdum plus æquo, infirmitate carnis exardescens, criminationes amicorum ita refellit, vt neq; iustitiam Deo, neq; sibi adimi patiatur: sed duab. rationib. vtitur ad defendendum se: vna, quod iudicia Dei, vtcunq; iusta sint, hominib. sunt incognita; ac proinde temerè amici de ipso iudicant: altera, quod Deus ipse com-

 muni

muni experientia, contra ostendit quàm illi asserant, etiam in hac vita bonis sæpius malè esse, quàm malis. Ita ad se ipsum veniẽs, primò vtitur testimonio conscientiæ suæ, cui aliquando lacessitus, aspergit murmura: deinde per ἀντικατηγορίαν *siue criminis translationem, amicos reprehendit, quod causam Dei (vt sibi videbantur) suscipientes, ipsum iniustè criminarentur. His sermonib. vltrò citróque habitis, Elihu velut comparans animos dissidentes ad reuerentiam; Documenta exponit de iustitia, & misericordia Dei, vtrósque reprehendit, & docet Iobum humilitatem, à comparatione maiestatis Dei cum humana sorte. Postremò, Deus idem documentum confirmans ab operum suorum exemplo, Iobum primò ad silentium, deinde ad Confessionem & resipiscentiam, amicos verò eius ad reconciliationem adducit: restituto denique Iobo ampliùs quàm antè, benedicit.*

CAP. I.

Iob pius, operâ Satanæ, à Deo exercetur, amissis facultatibus & liberis: quâ calamitate pressus, in pietate permanet; & seipsum consolans, benedicit Deo.

TErra est, Vzæam prisci dixére parentes;
Cultor vbi recti, & vitæ, degebat Iobus
Integer; ante oculos cuius, pietasque, metusque.
Numinis, & sceleris malesuadi, serius horror.
Septem illi nâti, dilectæ pignora tædæ:
Fœmineæ tres sortis erant: Quid ruris honores
Commemorem? lâtis armenta errantia campis;
Lanigeræ pecudes, septênis millibus ibant;

Millia

Millia complebant robusti terna Cameli,
Mille boues curuis, solers iungebat aratris,
Lætaque quingentæ carpebant pascua, asellæ:
Crebri aderant famuli, nec quis possederat alter,
Latius, Eois quâ Sol se porrigit oris.
Septem inter sese, fratres, de more solebant
Exercere epulas, charasque ad festa sorores
Poscere, & alternis mulcebant pectora mensis.
At Pater vt primùm conuiuia mutua vidit
Impleuisse vices, misit qui protinus omnes
Expiet, & mundæ lustret libamine lymphæ.
Ipse autem primò supplex, se manè ferebat
Ante aras, sacris adolens Holacaustaque flammis,
Pro numero sobolis: Nam si mea forsitan inquit
Progenies, interque epulas, interque lyæum,
Quid temerè effudit, factoue, aut voce tonantem
Læserit, offensi placabo numinis iras.
Ing dies talem, se matutinus agebat;
Iamque aderat tempus, quo, Iouæ celsa frequentes
Atria, Cælicolæ celebrant ante ora parentis.
Ecce autem Satanas: cui sic moderator Olympi,
Fare, age, Tentator, quibus huc adueneris oris?
Ille autem, magni circum pomæria mundi
Erro fui, & vastæ peragraui iugera terræ;
Pars orbis nulla est, nostri non plena laboris.
Cui Pater omnipotens. Nusquam ne inspectus Iobus

Est tibi, vir nostri metuens, quo iustior alter
Non manet in terris, aut obseruantior æqui?
Scilicet, ille pius, nulla mercede tonantem
Suspicit, inuicto circum munimine septus
Vndique, cui pleno demanat copia cornu
Cælitùs, aduersis nunquam tentata procellis:
Verte vices rerum, fortunæ nixa beatæ
Terga dabit pietas, inque os conuitia fundet
Libera, blasphæmisque lacesset te maledictis.
Talia Tentator. Cui mox immittit habenas
Omnipotens, quicquidque bonus possedit Iobus,
In Satanæ dedit esse manu; tantùm imperat, ipso
Abstineat: non hæc hosti concessa potestas.
His monitis, sese subducens, iussa capessit.
Et iam tempus erat, quo, natû primus Iobi
Excepit fratres epulis, charasque sorores,
Vinaque libabant læti, genioque fauebant.
Ecce autem, celeri accurrens velociùs Euro
Nuntius exclamat, populantes arua Sabæos,
Intentos operique boues, asinasque per herbam
Pascentes, cæsis ferro custodibus, omnes
Diripuisse; & se solum superesse furori,
Qui Iobi tantam cladem perferret ad aures.
Vix ea fatus erat, sese cùm nuntius alter
Intulit, é cœlo flammanti turbine tactos
Esse greges, sese de tot pastoribus, vnum

Crudeli

Crudeli ereptum lætho, qui vera referret
Flammiuori monumenta igni; Subit inde loquenti
Tertius, & terno partitis agmine turmis
Chaldæos, secum raptos egisse Camelos
Commemorat, cædem latè, stragemque dedisse,
Nec famulum superesse refert, se ex hostibus esse
Elapsum, Dominum clades ne tanta latéret.
Iamque aderat quartus, qui verba loquentis ab ore
Arripit, & mæstâ sic voce affatur Iobum:
Dum nati natæque tuæ, conuiuia læti
Concelebrant, fratrisque sui subiére Penates
Primæui, extremis deserti à finibus, ingens
Incubuit ventorum agmen, iunctaque resoluit
Compages, parte ex omni, concussaque sæuo
Turbine, tecta ruunt; subitâ, heu, tua pignora clade
Strata iacent; miseroli mihi dura negarunt
Fata necem, tanti vt luctus tibi nuntius adsim.
Tum verò exurgit, vestemque à pectore Iobus
Diripit, abraditque comam, tùm numen adorat
Pronus humi, ac infit: nudum me in luminis oras
Edidit infantem genitrix, nudusque reuertar
In cineres, generis quondam primordia nostri.
Ioua mihi largitus opes, mihi rursus easdem
Abstulit, eius honos semper, laudésque manebunt.
Sic fatur; nec vocem illi scelerata resoluit
Impietas, Numenue, iniusto murmure læsit.

CAP. II.

Iob constanter pergens in pietate, per Dei voluntatem à Satana, corpore suo grauissimè affligitur: ab vxore deridetur, & ab amicis inuisitur.

IAmque iterum Angelicæ præstò venère cohortes
Ante Deum, summi expectantes iussa parentis;
Nec Satanas aberat, fraudisque, dolique magister:
Cui Pater omnipotens; dic quæ te, perdite, nobis
Aduexit regio, aut vnde hæc ad limina tendis?
Ille autem, vastæ linquo circundata terræ
Mœnia, & ambitum varijs erroribus orbem.
Quem sic affatur, nutu qui temperat axem,
Vidisti ne, inquit. Iobum? cui nulla per orbem
Par pietas puram recto qui tramite vitam,
Ingreditur, nostri metuens, fugiensque malorum?
Haud ille abstinuit rectos insistere calles,
Immeritum contra quanuis odia aspera frustrà
Moueris, & verbis nos irritaris iniquis,
Perdere iam diues quicquid possedit Iobus.
Tentator contra, non hæc ego magna putarim
Argumenta pij, quis enim se funere demens
Seruare alterius, quis opes, cunctásque pacisci
Diuitias, dulcis nollet pro munere vitæ!
Sin tabo ipsius carnes, atque ossa medullis
Contigeris, quantas contra te colliget Iras?

Tum

Tum Pater excelsas Cœli qui condidit arces
Lora manu demens, dilecti corpus Iobi
Permittit Satanæ, tantùm, inquit stamina vitæ
Nolo seces, vitæ, moneo, parcatur Iobi.
Haud mora, pallenti pestes mox euocat Orco
Tentator, Stigiâque lue, en liuentia membra
Inficit, & toto diffundit corpore virus.
At constans, patiensque mali, degebat Iobus
In cinere, & durâ radebat vulnera testâ.
Quæ simulatque oculis couiunx percepit iniquis,
Siccinè, ait, moriens, & clade oppressus acerbâ
Integer es, Iouamque illum laudasque, colisque?
At Iobus, muliebri, inquit, te more loquutam
Arguit imprudens sermo, nos rebus opimis
Ditati quondam diuino munere, Numquid,
Aduersos æquâ toleremus mente labores?
Sic ait, & nullo temeratit crimine linguam.
Et iam per cunctas rumor penetrauerat vrbes,
Atque Themaniten Eliphan, Bildadque Subiten,
Et Naamathiten Sophoar, quos sanguis Iobo
Iunxerat, & miseri casus commôuit amici,
Euocat, vt rebus consolarentur in arctis.
Quem procul vt cernunt oculis, ignotaque dixerunt
Ora viri tandem, ruptam de pectore vestem
Diripiunt, fœdantque suos in puluere vultus.
Prostratique iacent, dum septima lumina Phœbus

Perdit, & assiduo pascunt ieiunia fletu,
Nec voce appellant vllâ, sic improbus illum
Vrgebat dolor, & totos insederat artus.

CAP. III.

Iob ex Angustijs, diei ortus sui maledicens, contra Naturam & contra Deum, propter vitam acceptam & conseruatam contendit.

TVm Iobus emissâ sic voce silentia rumpit,
Natalésque suos, & primos deuouet ortus.
O vtinam, æthereas qui me produxit in oras,
Ille dies, fœtâ quæque efformauit in aluo
Effinxitque marem, tantæ nox conscia cladis,
Dispereat: lux illa atris immersa tenebris,
Ignoret fine fine diem, sit nulla superne
Cura Deo, nunquam Phœbæo splendeat ortu.
Atra dies, tristi sed morte, & noctis opacæ,
Horrificis semper deuota expalleat vmbris.
Nocti illi, densus cæcâ caligine nimbus
Incubet, infaustusque æternum obnubilet æther.
Infœlix, solisque vias, lunæque labores
Perpetuò, & menses redeuntis nesciat anni.
Sit desolata, illætabilis, vndique luctu
Perstrepat, ingratos vitæ quicunque labores

Ingemit,

Ingemit, hæc illi nox excrabilis esto.
Nec matutinos vuquam eius Lucifer ignes
Induat, & toto pallescant sydera cœlo;
Expectentque diem, qui nullo mobilis æuo,
Infortunatæ cupiat succedere nocti.
Scilicet illa mihi miseræ primordia vitæ
Attulit, atque vsum lucis monstrauit acerbæ.
Eheu, cur nostros vterum patefecit in ortus,
Nil sobolem miserata parens! cur vbera suxi
Lactea, cur genibus sedi, cur lumina vitæ
Prima videns, plures auxi infæliciter annos!
Me nunc alta quies, tacitum sub nocte silenti
Conderet, & magnis fœlix par Regibus essem,
Principibusque viris, qui solis ardua campis;
Tecta struunt, sæclis olim monimenta futuris,
Aut vbi tuta locent argenti pondera & auri.
Meuè mori miserum fætâ genitricis in aluo
Non potuisse, ipsouè animam hanc effundere in ortu?
Fata ibi crudeles æquali sorte tyrannos
Pauperibus miscent, nec iniquus creditor vrget
Fœnora, nec famulos nexorum vincula terrent.
Et paruus magno, & captiuis libera colla
Æternum, nullo læthi discrimine distant.
Sed quorsum Pater omnipotens, mortalibus vsum
Largitur vitæ, quos semper dura malorum
Exercet series, & mors optata quietem

Inuidet, & surdâ clamantes despicit aure?
Vtque actis scrobibus, defossum quæritur aurum,
Haud aliter gens pressa malis, tellure sub imâ
Scrutatur mortis foueas, gaudétque sepulchro.
Cur, inquam, dat vitam homini, cui semita vitæ
Nulla patet, cæcos obducunt nubila gressus?
Antè cibum ex imo duxi suspiria corde,
Assiduos gemitus, qualis vis turbida aquarum
Defluit, aut rabidos cernas rugire Leones.
Quippe istos metuit semper mens ægra dolores,
Heu veri præsaga nimis: menè vlla quietum
Securumuè dies, carpentem gaudia vidit?
Aduênit tamen, heu vênit commotio grandis,
Mæsta dies nobis, & ineluctabile tempus.

CAP. IV.

Eliphaz, Iobum fracti animi arguens, iustitiam iudiciorum Dei, quam Iob reprehendisse videbatur, multis argumentis asserit, & homines peccati damnat, deinde omnes ad Dei misericordiam, suo exemplo reuocandos esse docet. Postremò concludens, Iobum dehortatur à peccato: & hortatur ad fidem & obsequium, propositis promissionibus.

MOx Eliphas, Iobum tali est sermone secutus.
Non ingrata tuas si fortè accedit ad aures

Vox

Vox mea, pauca tibi conabor dicere; Sed quis
Temperet à fando? tu qui ſub pondere preſſas
Firmaſti vires dextrâ, & genua ægra trahentes
Fulſiſti auxilio: nunc primo in turbine rerum
Greſsibus incedis dubijs, & limine in ipſo
Das victas ſub faſce manus, vbi fortia quondam
Pectora, & afflictis conſtans patientia rebus,
Et pietas laudata, & mens ſibi conſcia recti?
Quin age perpetuos annorum euolue labores;
Nùm iuſti perière vnquam, ſinceranè cuiquam
Attulit exitium pietas, at perdita contrà
Impietas, lætis quanuis concredita ſulcis,
Germinat in pœnas, triſteſqùe educit ariſtas,
Cultori ingratam meſſem: cùm infrenduit ore
Omnipotens, iuſtaſqùe animum commouit in iras.
Cùm rugiunt crudi, ſæuâ feritate Leones,
Accenditqúe fames rabiem, catulique minaces
Prædæ inhiant, denteſqùe acuunt, gens impia fruſtis
Commolitur, perditque immanis bellua campi.
Hæc equidem vidi, ſed nondum cognita nobis
Cauſa fuit, donec rerum monſtrauerat auctor.
Nam dùm grata quies mortalia pectora ſomno
Occupat, & placidæ ſpirant obliuia noctes,
Ecce repentinus ventus pernicibus alis,
Præſentis dat ſigna Dei, mihi protinus horror
Iucubuit, gelidoſque tremor penetrauit in artus.

Tum non visa priùs per noctem effulsit imago,
Et venti posuére animos, molliq; susurro
Aura leuis, tacitâ hæc nobis immurmurat aure.
Num poterit quisquam mortali è semine cretus
Iustitiâ præstare Deo, rebusuè creatis?
Ille opifex cedat, qui factum temperat orbem?
At non ipsi audent illo consistere coràm
Cælicolæ, velatque suos gens conscia vultus.
Quin quosdam scelus ante alios immane parantes
Nocte sub obscurâ dedit atra in Tartara quondam
Præcipites; quisquamnè igitur quem terrea cingit
Congeries, putrisque expectat blatta Sepulchri;
Audebit posthàc tanto se attollere fastu?
Nam veluti verno surgunt qui germine flores,
Quos matutinus tepido Sol elicit ortu,
Sole sub occiduo prima moriuntur in herbâ:
Sic generi humano breue, & irreparabile tempus:
Principium, finemque adfert, vitæque caducæ
Hora breuis, multo turbarum fluctuat æstu.
Et nisi diuinæ clementia prouida dextræ
Obstaret, certè æternum sine fine perirent.
Nec sapiens vitare vllus fatalia possit
Tempora, cùm mentis truncum vis viuida corpus
Liquerit, & gelidis abit excellentia claustris.

CAP.

Cap. V.

Dehortatur Iobum Eliphaz à peccato, malo, & contentione cum Deo, tacitam includens reprehensionem dictorum Iobi, hortaturque tùm ad officium erga Deum, tùm ad doctrinæ comprehensionem, præmijs & promissionibus propositis.

Quin tibi sectandos potius proponis, Iobe,
Insignes pietate viros, iustósque, probósque
Consulis, an sancto quisquam dignetur in albo
Respondere tibi? stultos si fortè rogâris,
Exemplarque illud placeat, diuina repentè
Ira premet, zelúsque, ac indignatio Iouæ.
Vidi equidem quos nulla tenet reuerentia summi
Numinis, assiduo rerum ditescere luxu.
Non aliter quàm quæ læto se germine tollunt
Pampineæ vites, & pleno palmite turgent.
At subitò execrata domus, deuotaque diris
Corruit infœlix, nec spes super vlla salutis
Affulsit soboli, nullo quæ vindice pœnas
In portis luit, & maturæ præmia messis.
Prædoni cessit rabido, nec culta labore
Semina, nec grauidas autumno colligit vuas.
Non hæc, crede mihi, cæco fortuna rotatu
Aduehit, aut casu quicquam sine numine nobis

Euenisse potest, cultæuè è puluere terræ
Proueniunt ærumnæ homini: sed Rector Olympi
Addidit has vitæ comites; & præmia culpæ
Certa dedit, nec certa minus, quàm pruna sub altum
Scintillas vomit, & leuibus petit æthera flammis.
Ergo erit ille mihi semper Deus, illius arctis
Perpetuò in rebus numen, nomenque vocarim.
Innumera illius passim miranda per orbem
Facta patent, pluuijs, qui fidens æthera nimbis,
Fœcundat terræ gremium, cui diuite venâ
Flumina prosiliunt latis errantia campis.
Ille salutiferam miseris in tempore dextram
Porrigit, atque humiles excelsâ in sede reponit.
At quoties prauos coiens gens impia cætus
Insidias struit innocuis, scelerata coercet
Consilia, & vanas reddit sine viribus artes
Prouidus, vt proprijs sese versutia technis
Induat, & cæcis erret deprehensa tenebris.
Non aliter luce in media, quàm nocte profundâ
Palpet, & incerto titubet vestigia gressu.
At Pater insontes cœlo miseratus ab alto
Eripit omnipotens, non illis hosticus ensis,
Aut vis vlla oberit, minitantis sæua tyranni.
Spes illos nam certa fouet, Sed perdita contrà
Impietas, mutóque silet malè conscius ore.
O fortunatos nimium, clemensquè bonusquè

Quos

Quos Deus affligit, non illa afflictio, verùm
Dulce rudimentum, & patriæ correptio dextræ,
Non ſpernanda tibi, ſæuo te quippe dolore
Sauciat, & doctâ rurſum medicabitur arte.
Sex cladem patière vices, totidemq; ſalutis
Propitius monſtrabit iter, ſed ſeptima nunquàm
Innocuæ ærumnis turbabit tempora vitæ.
Nec tibi ſæua famis rabies, nec Martius ardor
Adferet exitium: nec portentoſa timebis
Omina, nec fædæ metues conuicia linguæ.
Sed cùm damnarent ſteriles ieiunia campos,
Vbertìm largo paſcet te copia luxu,
Nec lapidi plantam impinges, nec beſtia lædet
Noxia, ſed ſtabili coniunges fœdere agrorum
Saxa tibi, tutamque colet fera beſtia pacem,
Pacem, inquam, domui, ventura in ſæcla perennem,
Perpetuamque tuæ, quæ tu ſpectacula Lætus,
Sepoſito tecum quondam mirabere faſtu.
Inſtabiſque viam recti, calleſque beatos
Iuſtitiæ, ſanctoque premes veſtigia greſſu.
Vtque vides gratos flores ſub vere tepenti,
Gemmantes paſsim lætis herbeſcere campis,
Sic tua progenies in ſæcula ſera nepotum
Fœlici creſcet ſerie, & longæua ſenectus
Effæto oſtendet numeroſæ gaudia prolis.
Vtque ſuas meſſor ſegetes ſpem colligit anni,

Et grauidis flauam Cererem componit aceruis:
Exaturatum annis, ſic te expletumquè dierum
Excipiet tumulo tellus, gremióque fouebit.
Certa quidem ſunt hæc, vſúquè edocta magiſtro.
Quæ ſi fortè ſapis memori ſub mente repones.

Cap. VI.

Iob reprehenſis grauiter amicis neglecti officij, & confutatis Eliphazi rationibus, cauſſam ſuam de integro conſtituit coram illis. Quam deinde explicat, narratione ærumnarum ſuarum, & indignationis, in quam, ex tantarum ærumnarum ſenſu, animus eius abripiebatur vehementiſſimè.

Tùm Iobus, Orutinæ, ſi quis moderamina rectæ
Suſtineat, queſtúſque meos, ſæuóſque dolores
Quos patior, iudex æquato examine penſet!
Námque meâ leuior plagâ vaſti eſſet arena
Oceani, & totis pelagi præponderet aruis.
Nec verbis æquare queo; mortalia quippe
Sollicitum me nulla tenent, ſed tela veneno
Imbuit, & ſiccas exhaurit ſanguine venas
Omnipotens, trepidiſquè infert terroribus arma,
Conglomeratque aciem, & multo me turbine vexat.
Anne rudit teneris onager benè paſtus in agris?

Aut

Aut bos manſuetus plena ad præſepia mugit:
Cui placitura albugo, ſalis ſi copia deſit?
Me cum dira lues tabo conſumat inerti,
Ingratumq; cibum præſtent languorque, dolorque,
Mirum eſt tranſuerſam rapiar ſi à cardine mentem?
Quis dabit, vt, voti compos, cæleſtibus armis
Obruar, & poſito mitis ſolamine dextræ
Irarum laxis in me graſſetur habenis
Omnipotens, tantos vt mors extrema labores
Finiat? O nobis, inquam, mors vltima rerum
Optatâ, ventura, die, dum lingua recuſat
Noſtra nefas, vitæq; mihi benè conſcius actæ
Celarim nunquam diuinæ encomia laudis.
Sed cui tàm validæ ſuperant in corpore vires
Hæc vt ferre queat? non ſic adamantina nobis
Ferro corda rigent, nec duro pectora aheno,
Vt valeam tantos tolerando æquare labores.
Num mihi nulla meæ ſupereſt defenſio cauſæ?
Num penitus fugit ratio, mentemq; reliquit?
Nec quiſquam eſt, adeò pietas mortalia liquit
Pectora, qui miſeri caſus ſoletur amici?
Nanq; vt præcipiti torrens delabitur aluêo;
Sic noti ſubitò, & cunctli fugêre propinqui.
Ac tanquam tellus hyberno tempore multas
Sudat aquas, cælo ſupra quam, plurimus imber
Irrigat, vt paſſim vaſtis exæſtuet agris,

Nix tegit, & pigro torpescunt marmore fossæ.
At qui Sabbææ fessus sitientis arenas,
Siccaq́ Themaneæ peragrat deserta viator,
Flumineos haustus, sæui sub sydere Cancri.
Faucibus expectat siccis, tamen arida potum
Vnda negat, calidisque exhausti solibus amnes:
Haud aliter subitâ tacti formidine, vanam
Ostentastis opem, & me spe lusistis inani.
Cur quæso vos terror habet? num munere vestro,
Pauperiemque grauem, duræq́ incommoda vitæ
Solari volui, num collo hostilia vincla
Excutere, immitisuè iugum exitiale tyranni?
Quin potius rectum si quo me deuius error
Abripuit, monstratis iter? nec vera loquentem
Arguite, aut fictis vltrá contendite verbis?
O quàm acris, fundóque animum mihi verberet imo
Sana salutiferam spirans reprehensio vocem.
Cur technas struitis proli genitore carenti?
Et foueam Insonti nequicquam aptatis amico?
At nunc quæso isthæc animis, atque auribus æquis,
Accipite, haud nostro sermo manabit ab ore
Futilis, & nostras iterumquè, iterumque querelas,
Conuersi iustâ tandem perpendite lance.
Non iniusta peto, nunquid vox impia linguam
Polluit? insipidumuè palatum infecit amaror,
Vt nequeam sano ærumnas discernere gustu?

CAP.

Cap. VII.

Narratio ærumnarum Iobi, & indignationis in quam ex earundem sensu animus eius vehementer & acriter abripitur, cùm commiseratione præsentis conditionis.

Stat sua cuique dies, & meta extrema laborum,
Nec semper trepidis miles Mauortia campis
Bella fremit, placidisq; subit pax aurea pennis.
Atque æstum fugiens seruus se recreat vmbrâ,
Et pretio, & gratâ solatur nocte laborem.
At mihi amara dies, & noctis amarior vmbra,
Mutua sollicitis producunt tempora curis.
Nox vbi pallenti cingit caligine terras,
Sic aio, seros segnis cur Phosphorus ignes
Occulit? at niueo postquam iubar extulit orbe
Excrucior, donec sero decedat Olympo.
Est furtim nobis lento durantia tabo
Viscera, sordescitque imo sub pectore virus,
Dissoluitque cutem, & putri carnem vlcere findit.
Non citius cuiquam radijs decurrit acutis
Trama leuis, nostræ quàm spes deperdita vitæ.
Sis memor, vt nobis fugitiui flaminis auram
Indideris, rerum Genitor, si lumina vertas,
Illicò succedent tenebræ, nec tecta subibo
Terrea, nec charis vltrà spectabor amicis.

Sed veluti nubes, celeris vis concita venti
Dissipat; haud aliter supremo tempore nobis
Vita perit, non hos iterum inuisura penates.
Ergo ego cur parcam vociq̃, treq̃, doloriq̃,
Amplius, afflictoue premam sub pectore questus?
Neue putes pelago, tanto quem turbine perfles,
Assimilem, videorue immanis bellua ponti
Esse tibi, vt tali custode, & carcere frænes?
Forsitan afflictos, lectus mihi molliet artus,
Quum, dixi, tacitam portenta obiecta quietem
Terrificant, dirisq̃ agitant insomnia monstris,
Fessaq̃ mens toto suspirat pectore læthum.
Ne me affligе, precor, cui non in sæcula curem
Viuere, sed vanæ detestor tædia lucis.
Sed quæ laus hominis miseri, quæ gloria tanta est,
Vt Pater omnipotens semper mortalia corda
Aurorâ monstrante diem, exploresq̃, probesq̃,
Et fragilis vitæ inquiras momenta per horas.
Quin finis humentem saltem absorbere saliuam.
Non ego me immunem culpæ, & sine crimine vitæ
Profiteor, Sed quâ culpam mercede piabo.
O hominum custos, cur tot me hostiliter armis
Aggrederis, nullusq̃ inimicâ finis in irâ est?
Quin potius scelus omne aufers, & crimina deles
Nostra, Deus, tutum vt cognato in puluere somnum
Edormire queam, plagarum expérsque, metúsque?

CAP.

Bildad Iobum grauiter reprehendit, quasi obloquentem iustitiæ Dei: eam Testimonijs & exemplis probat, & Iobum minis deterrere conatur, promissionibusque reuocare.

His dictis Bildad soluens mox ora Suhites,
Siccine, ait, trepidi tanquam vis concita venti,
Verba amens studio semper iactabis inani?
Num Pater omnipotens, celsi qui flammea Olympi
Templa colit, iustisque orbem moderatur habenis,
Iudicio cœli solium fœdabit iniquo?
Quid? tua cùm nuper nec opinâ pignora clade
Perdidit, & letho natos inuoluit acerbo,
Immeritas numquid vindex exarsit in iras?
Sin tu cùm primos aurora infecerit ortus,
Integras supplex tendens ad sydera palmas
Voce humili fidens poscas in vota Tonantem,
Audiet ex templò, & pleno tibi copia cornu
Affluet, & firmis stabunt tua tecta columnis
Iustitiæ fundata manu: tibi gloria surget
Inclyta, & è paruis tollet se prospera rebus.
Quin æui tecum recolis monumenta prioris,
Maioréque tuos, & priscos consulis annos?
Non sic immissis trepidant à solibus vmbræ,
Quàm vitæ breuis hora fugit, momentáque parua
Nos planè expertes rerum, ignaróque relinquunt.

Plurima sed nobis prudens exempla vetustas
Suggeret, & docto te sic affabitur ore.
Iuncus vt humenti crescens vligine turget,
Et carex elegit aquas, tamen vtraque marcet
Ante alias, primâque arens flaccesit in herbâ:
Talis erit quicunque Dei præcepta monentis
Spreuerit, aut fictâ pietatem ostenderit arte.
Non citiùs telam, quàm pendula texit Arachne
Æolus aduersi proturbat murmure cauri,
Quàm perit impuræ spes, & fiducia gentis.
Quid struit incassum? subitâ inclinata ruinâ
Corruet, & nullis stabit domus impia fulcris.
At tanquam pigris, quæ primùm innascitur aruis,
Et duro damnata solo, cui noxia fibras
Saxa premunt, lapidosa inter vix rudera surgit;
Ast illam postquám prudens solertia docti
Agricolæ, terrâ imbutam meliore recondit,
Tollitur in Cœlum ramis fœlicibus, arbos;
Nec soles curat, medio nec deficit æstu,
Miratur fontes, & amæni iugera campi,
Et subeunt sterilis gaudentem obliuia glebæ:
Sic Pater omnipotens humiles è paupere tecto
Eriget, & multo pietatem ornabit honore.
At contra impietas, sese malè conscia nunquam
Tollet humo, nunquam diuinæ munera dextræ
Sentiet, vt lapso possit consurgere gressu.

Tuque

Tuquè adeò lætam ſolues in gaudia mentem
Et labra, & largo ſatiabis pectora riſu,
Oſores, hoſteſque tuos, cùm dedecus atrum
Induerit, tetróque horrens infamia vultu,
Et cernes deiecta imo tentoria fundo
Impia, né euerſis reſtent veſtigia tectis.

CAP. IX.

Iob agnita & celebrata iuſtitia, ſapientia, ac potẽtia Dei, inficiatur criminationem vitæ ſuæ, ſibi ab amicis obiectam; & iuſtitiam ſuam aſſerens, docet ex præſentibus Dei iudicijs non eſſe de hominibus iudicandum. Poſtremò quærimonias ſuas repetens; à Deo, multis argumentis adductis, mala ſua deprecatur, & concludit flebili optato.

QVæ poſtquàm effatus, ſiluit; reſpondit Iobus:
Non obtuſo adeò, Bildad, me pectore finxit
Omnipotens, quenquam vt polluto é ſemine cretum
Iuſtitiâ credam perfecta æquare Tonantem.
Quippe homini patrata, Deus, ſi crimina mille
Imputet, an quiſquam ſeſe purgauerit vno?
Illi cor prudens, & fortis robora dextræ,
Non illi iniuſtus quiſquam ſe impunè rebellem
Præbuerit, montes qui imis radicibus altos

Verrit, nec modicæ apparet tamen impetus iræ.
Qui labefacta manu trepidæ fundamina terræ
Concutit, & simul ac celsi de vertice Olympi
Annuerit, cæcis Titan caput occulit vmbris,
Et fraudat splendore diem, signatáque claudit
Sydera, qui nitidi solus tentoria cæli
Explicat, & tumidas sicco pede permeat vndas.
Arcturum, paribus somnum qui diuidat horis,
Atque diem, gelidæ rursum sub tempora brumæ
Imbriferi madidos, pluuioſquè Orionis ignes,
Verè renascentis gratam spem Pleiadas anni
Euocat actutùm, septem ornamenta trionis,
Et quæcunque alter nobis intercipit orbis
Australi distincta polo: tàm grandia facta
Exuperant laudum cumulos, mirandaquè virtus
Illius, haud numero, poterit nec fine teneri.
Non illum celeri quum præterlabitur aurâ
Cernere fas, & cùm pigro se tramite fistit,
Consilij quisquam norit secreta latentis?
Num prædam eripiet quisquam? Num poscere causſas
Audeat, iratum contra subsistere numen
Num vis vlla potest? forti sub pondere tanto,
Genuâ labant, fractiſque superbo corde tyrannis.
Quid mihi tum misero verbis contendere frustrá
Proderit, aut numen dictis incessere amaris?
Quod si pura mihi, nullique obnoxia culpæ

Vita

Vita foret, supplex tamen ante aduoluerer ora
Iudicis, & quanuis leni bonus annuat aure,
Haud equidem credam vocem exaudisse precantis.
Quippe atro cæcæ correptum turbine noctis
Implicuit tenebris, pronusq; in vulnera nostra
Immeritas cumulat clades, nec mollia nouit
Interualla furor, litem finire duello
Quâ potero inualidus? dicam illi, vt polleat armis,
Iure diem quis tam audaci præfiniet ore?
Si me sinceræ vestigia carpere vitæ
Profitear, proprio damnatus protinus ore,
Non alio sub teste cadam; sin vita vacaret
Crimine, non ausim tamen hoc inducere mentem
Ignaram, & miseræ spernentem tædia vitæ.
Vnum id me torquet, quonam discrimine iustos,
Iniustosq; viros mundi distinxerit auctor?
Vtraque nonnè vides paribus gens quomodo pœnis
Fungimur, & similis patimur compendia lethi.
Vtque suâ omnipotens Rector securus ab arce,
Innocuæ ridens spectet tentamina vitæ?
Nonné orbis dedit immani feritate tyrannis
Frœna manu, & mundi passim præfecit habenis,
Artifices scelerum? quorum velamine vultus
Obtegit, vt cæco titubent per deuia gressu,
Ignorentq; æqui leges, turba insciа recti;
Hæc Deus, annè alius quisquam prefinijt auctor?

Non citius summas, qui vix pede lædit arenas
Cursor abit, ventouè ratis delata secundo,
Aut pauidas aquila in campis sectata columbas,
Quàm nostri fugêre dies, nec gaudia vitæ
Carpsimus, aut miseri lætis indulsimus annis.
Sæpe mei, dico, venient obliuia luctus,
Atque iræ statuam finem, positoque furore
Mulcebunt placidam tandem solatia mentem.
Sed dirus circum ærumnarum exæstuat horror,
Percellitque animum, nec tu me crimine mundum
Decernes: Quorsum vana hæc me cura fatigat?
Quòd mihi si niueo candor certaret olori;
Inuoluet cæno, & lutulentos protinus artus
Polluet, & nullo sordes calabit amictu.
Nec nostri est similis, cum quo contendere possim,
Omnipotens, nobis nec se interponere quisquam
Audeat, arbitrio litem qui terminet æquo.
Virgam aufer, Deus alme, & me terroribus istis
Exime, tum vitæ farer benè conscius actæ
Intrepidus, timido nec me sermone tuêrer.

CAP. X.

Querimoniarum Iobi repititio, qua tertia responsionis pars in mediũ affertur, indignationis quærimoniæ; propositione, confirmatione, cõfutatione & conclusione constans; hinc mala sua deprecatus à Deo, flebili optato concludit,

concludit, descriptione Sepulchri tetri, lethalis, & tenebricosi, periphrasticâ.

AT nunc, inuisæ quoniam me tædia vitæ
Sollicitant sæuo iuuat indulgere dolori.
Ne me condemnes, quæso, verùm æde roganti,
Iudicio mecum cur experiaris iniquo?
Siccinè cura tibi est, ambages nectere fraudum
Innocuo, propriæq; efficlum munere dextræ
Perdere opus, prauosque inter tibi nobile cætus
Nomen, & egregias hoc pacto acquirere laudes?
Num tibi quæ humanas obducunt nubila mentes,
Mortales hebetant oculos? num tempora vitæ,
Atque tui fluxis decurrunt mensibus anni,
In nostram vt vitam, & peccata inquirere pergas
Sedulus, & pœnis insontem affligere tentes?
Non ignota tibi est pietas mea, nec tamen vsquam
Apparet, tantam vindex qui auerterit iram.
Cur me dispердis, propriæ plantaria dextræ,
Quemque tuæ quondam mirâ fæliciter arte
Vndique perfecêre manus? quin mente reuoluis
vt generi humano limosæ è puluere terræ
Corpora limasti, vtque iterum collapsa redibunt
In cineres, generis quondam primordia nostri?
Num me ceu niuei libamina mollia lactis
Fudisti in matris gremium? num caseus vt fit

Musteus, haud aliter tepidâ concreuimus aluo?
Num superinductam per te cutis aridacarnem
Vestiyt, & toto distentos corpore neruos,
Ossaque formasti solidas firmantia vires?
Æthereosq; hausti, corpus ne informe iaceret
Naribus accepit, generosæ semina vitæ?
Quod viuo & vegetus, quod spiritus hos regit artus
Sola tua est bonitas, Domine, & clementia sola.
Intereá, tantos occulto corde dolores
Cælasti tecum, nec me sententia fallit.
Num quoties pecco, memori mea crimina semper
Mente notas, nec me delicto absoluere curas?
Væ mihi, si vitæ fuero peruersa sequutus,
Non impunè feram: sin ipso tramite recti
Ingrediar, non vllam ausim sperare salutem,
Me mala tanta premunt, tot vexant vndique clades.
Nam veluti rabidus pecora inter inertia sæuit
Ingluuie stimulante, Leo; sic irruis in me
Hostili, Deus, ense ferox, & vulnera victor
Congeminas, semperque nouas insurgis in iras.
Cur eduxisti miserum, genetricis ab aluo
Seruatum in pœnas, nec nobis fata subire
Ante diem, & letho licuit præuertere lucem?
Ecce mihi subitò miseri mors terminus æui
Aduolat, intereá sæuâ paulisper ab irâ
Desine, dum modico recreem solamine mentem,

Parua

Parua mora eſt, cæci ſubeam quin limina ditis
Non iterum calcanda mihi; caligine regna
Æterniſq; horrent tenebris, quæ ſemper opacat
Terrificâ mors atra vmbrâ, nox incubat illic
Perpetuò, nuſquam ſe ordo, nec lucida monſtrant
Sydera, ſed triſtis pallor, ſed liuida ſqualet
Effigies, cæcumque æternum obnubilat antrum.

CAP. XI.

Tzophar ſermonem Iobi, à comparatione Maieſtatis diuinæ refellens, docet vnicam ſalutis viam eſſe, fidem & reſipiſcentiam, ad quam Iobum hortatur.

TVm Naamathites Sophoar, ſic ora reſoluens,
Siccine, ait, quiſquam patientem accommodet aurem
Spermologo, tua nec prudens mendacia fando
Arguat, & nugas ſolers confutet inanes?
Scilicet illa tua, vt iactas, oratio munda eſt
Ante Deum, vel te tua garrula reddet, Iobe,
Lingua pium, culpâque vacas & crimine vitæ?
Aſt vtinam arcanos genitor recludere fontes
Conſilij velit omnipotens, & tollere nubem
Mortales hebetantem oculos, vt conſcia cernas
Pectora nequitiæ, & duplo maiora mereri
Supplicia, iná tuís numen miteſcere pœnis.
Sed quo te tandem regio in penetralia ducet,

Secretoſque adytus, & magna arcana Tonantis?
Ille etenim immenſo longè ſpatioſior orbe eſt,
Latior Oceani campis, ſupra ardua cœli
Eminet, infernoq; patet decliuius antro.
Ille ſimul iubeat, totius machina mundi eſt
In priſcum reditura chaos nutuq; monentis,
Ex nihilo, rurſumq; nouus coaleſceret orbis.
Nec quiſquam impediat, nec facta immenſa moretur,
Nec noſtra impietas diuinos fallit ocellos.
Qualis enim ſolis natus laliſio campis
Brutum animal, ſtolidum, indocile, indomitumq;, ferumq;
Talis homo, niſi naturâ rationis egenus,
Cordatus fiat diuino munere, rectè
Incipiat ſapere, & cœli myſteria diſcat.
Quin tu igitur mentem ſacros accingis in vſus,
Exilioque ſcelus damnas, & crimine tendis
Ablutas in vota manus? tunc integer ore
Sublimi, erectos tolles ad ſydera vultus,
Firmâque ſecuro figes veſtigia greſſu
Intrepidus, nuſquam facies aduerſa laborum
Immemori occurret, rapidi ſed fluminis inſtar:
Sic tibi præteritos condent obliuia luctus?
Sol tibi ſublimis medio fulgebit Olympo,
Reſtituetque diem, tuque almæ lucis amictu
Splendidus, auroræ gratos imitabere vultus,
Et tibi firma dabit fiducia nixa Tonanti,

Securos

Securos habitare lares, expersque pericli
Nil metuens, dulces carpes in gramine somnos:
Quippe hostis tibi nullus erit, sed plurima supplex
Turba, fidem dextramque tuam, implorabit egenis
Rebus, & vt tuto sese committet asylo.
At contrá impietas, speratam tempore nullo
Sentit opem, nullo finit sua tædia luctu.

CAP. XII.

Iob, confutatis amarulenter, ab experientia & communi rerum creatarum testificatione, argumentis Tzopharis, & reliquorum mendacibus sermonibus repudiatis, omnes iniuriæ in Deum arguit.

TVm Iobus, nec vos solos prudentia rerum
Erudijt, nec me stolidum, & rationis egentem
Obscurâ inuoluit cæca ignorantia nocte,
Nec vobis cedo, nec vulgo ignota refertis.
Sed simplex quoniam studium me detinet æqui,
Et recti sincerus amor, ludibria mente
Voluitis, & sannis misero insultatis amico
Qui Dominum inclamat, facilem qui commodat aurem.
Sic lampas, quæ nutantes in paupere gressus
Dirigit, & modicâ solatur luce tenebras,
Diuitibus sordet: multo hæc gens ebria luxu
Vi potitur rapto, ac opibus confisa superbis

Pauperiem, & tenuis rident incommoda vitæ.
Quos lentas Domini patientia seruat ad iras.
Nec tamen, vt spero, cuiquam tàm cornea fibra est,
Condita quin olim cælesti sæcula dextrâ
Nouerit, & vastam mundi subsistere molem.
Hinc pecudes, armenta, viri, genus omne ferarum,
Quæque secant liquidum stridentibus æra pennis,
Et quæ marmoreo spirant sub gurgite ponti,
Plantaq́, & duris nascentia robora syluis,
Arcessunt tenuis genitalia semina vitæ.
Nos equidem fidam tantum dimissa per aurem
Percipimus, sani vel gustu experta palati,
Aut quæ canicies prouectis attulit annis.
At rerum genitor, fortis, prudensq́, bonusq́,
Cuncta potest, nouitquè simul, nutuquè gubernat.
Eruit ille arces, fundoquè exterminat imo
Heroum monimenta, & stringit compede fontes,
Nec reparare iterum fas, aut recludere cuiquam;
Ille simul iubeat vacuos subsistere fontes,
Protinuus exhaustum tellus absorbeat æquor.
Et nisi vim ponti modicâ compescat arenâ,
Effusis terram videas immergier vndis.
Nam Pater omnipotens æternæ robore dextræ
Consilioque valet, prudentique omnia secum
Expendit trutinâ, & iusto moderamine frænat.
Ille malos vates, sua qui delyria spargent

Excitat,

Excitat, auscultatores erroribus afflans.
Iudicibus sanam mentem prudentibus aufert,
Consilijque inopes, & inertia pectora reddit.
Quin ipsis rerum dominis, Regalia sceptra
Eripit, & famulis præcingit colla cathenis.
Insignes spolijs satrapas, prædator, opimis
Exuit, & valido subuertit robore fortes.
Et quos commendat fandi vis aurea, balbos
Efficit, vt comptis discedat gratia labris.
Et quos prudentes seris facit vsus ab annis,
Deliros reddit senio, crudosque tyrannos
Excutit è solio, quos turpis dedecus æui
Insequitur, tetroque horrens infamia vultu.
Quid memorem vt solus tenebris immersa profundis
Eruat, & cæcâ sub nocte, & morte reposta
Proferat in lucem, & patulas educat in auras?
Vtque auget numero populos, auctosque repentè
Hostili metat ense ferox, fecundaquè rursum
Suppeditet sobolis reditura semina genti.
Dat fatuos populo Reges, & sceptra rebelli
Impia, qui summo turbati culmine rerum
Per loca senta situ, nostroque imperuia cultu
Errabunda legunt vestigia, perque tenebras
Cymmerias palpant, solisque, & lucis egeni
Incertò titubant, tanquam gens ebria, gressu.

CAP. XIII.

Iobus redintegrans conſtitutionem cauſæ ſuæ, expoſtulat cum Deo de illatis calamitatibus, eaſque argumentis aliquot deprecatur.

HAud ignota loquor, ſed viſa, auditaque tantùm,
Et longo nobis vſu comperta recordor,
Nil veſtrum inferior quoquam; nunc voce Tonantem
Aggrediar, ſummoquè Deo certare iuuabit.
Non ego vobiſcum vanæ certamina linguæ
Inſtituam, quippe impurâ mendacia fronte
Fingitis, & medicas fruſtrà prætenditis artes.
Quin potiùs præbete aures, atque ore ſilenti
Quæ dicam, accipite, vt vobis prudentia honorem
Conciliet, quoniam hoc ambitis nomine laudem.
Argutâ nunquid ſeſe vult fraude tueri
Omnipotens, fictoſuè innoxia cauſſa patronos
Poſtulat, ambages nectant qui, & retia fraudum?
Siccine vobiſcum, vt ſub iniquo iudice, regnat
Gratia, perſonamque Dei ſpectare lubebit?
Siccine tentatis numen, vobiſuè putatis
Vtile, ſi veſtras inueſtigauerit artes,
Nil homini ſimilis? pro quo mendacia fingi
Expediat, num ficta animi ſecreta latentis
Proferet in lucem, ſceleratoſque arguet auſus?

An

An nullâ trepidas vobis formidine mentes
Territat æterno, qui temperat omnia nutu?
O modò limosæ fragilis de puluere terræ
Progenies, quo te vexat vesania fastu?
Vos linguæ cohibete nefas, sed nostra silere
Lingua nequit, de me rerum prouiderit auctor.
Cur laniata cutis, putri caro rancida verme,
Exosam horrentes dentes inuitat in escam?
Assiduoquè animam lethi discrimine vexat?
Me licet occîdat, non desperabo, nec ipsâ
Discedet nobis vnquam fiducia morte.
Speque salutifer â plenus, si in morte recumbam,
Illa mihi victâ statuit de morte triumphum.
Intereá, vitæ recolo delicta peractæ;
Nam cur dissimulem? Num iudicis ante tribunal
Impietas ausit sceleratos sistere vultus?
Arrigite, hic surdas sermo non postulat aures:
Non ego iudicio cuiquam certare recuso,
Nec quin absoluar dubito, laudemque reportem
Iustitiæ; sed quis mecum contendere porrò
Audeat, emoriar iustam quàm liquero causam
Ora premens, mutoquè silens malè conscius, ore.
Tu tantùm, Pater omnipotens, ne territa turbes
Pectora, & assiduo finem largire dolori.
Non ego tum metuam fidens, actorué, reusué
Esse velis, cedò nobis quo crimine vitæ,

Quo numero, merui tantas exoluere pœnas?
Cur faciem cœlat, cur me ſibi comparat hoſtem
Omnipotens? laudem egregiam, & ſpolia ampla parabis
Scilicet, attrito folio, quod turbine cæco
Aura leuis rapidis torquet ludibria ventis.
Ergò, dicam nobis cur ſic inſcribis acerbam,
Et memor oblitæ recolis delicta iuuentæ?
Duraquè concluſis circundas vincula plantis?
Inſculpiſque tui pedibus veſtigia cippi?
Ne quoquam aufugiam, nec ſpes ſoletur eundi.
Sed quis ego vilis, qui ſum putredine trunci
Vilior, & veteri, quam rodit tinea veſte?

CAP. XIIII.

Adferuntur argumenta & loci contentionum ad captandam miſericordiã, cum concluſione pathetica, ex comparatione ſeueritatis iudiciorum Dei, cum infirmitate rerum omnium creatarum, nominatim verò miſeri hominis, tranſeundo à theſi ad hypotheſin.

GEns humana equidem duris obnoxia fatis
Naſcimur, ac natos breuis infortunia vitæ
Excipiunt, tanquam verno flos germine lætam
Pingit humum, tenero primùm qui carpitur ortu.
Non citius pereunt umbræ, quàm futilis æui
Flabra ſilent; & te tantâ mortalia curâ

Sollicitant:

Sollicitant! hominesque tuis dignaris ocellis
Scilicet, & miserum tot me in certamina poscis!
Quis, primos semen patrium cui polluit ortus,
Expertem reddet sceleris? si stamina vitæ
Dimensis currunt spatijs, vitæque, necisque
Arbitrium à te vno pendet, moderare furori
Paulisper, miseros donec mors finiat annos,
Mors optata diu, merceque extrema laborum.
Ecce arbos succisa, nouis se frondibus ornat,
Et veteri quanuis putris radice senescat,
Læta tamen rursum, rediuiuo germine surgit
Stillanti perfusa polo, ramisque superbit:
At pereunt, ipsâque velut radice reuulsi
Intereunt homines, & vbi post funera degunt?
Vtque neget si fortè suas in flumina vires
Oceanus, fonteque vndâ recreare perenni
Negligat, arenti disparet gurgite torrens:
Sic hominis tenues vita euanescit in auras,
Et longos gelido dormit sub marmore somnos,
Experrecturus nunquam, dum tecta nouentur
Cælica, & istius facies mutabitur orbis.
O vtinam Iouæ donec pertranseat ira,
Securam tumuli carpam sub mole quietem,
Præscribat que diem, nostri nec desinat ille
Esse memor, clemensque in me sua lumina vertat.
Sed num mortalis viuet post funera quisquam?

Illam ſollicitâ ſemper mihi pectus anhelat
Mente diem, quâ me ſupremâ voce ciebis
E tumulo, dextramque dabis, promptuſq́ vocantis
Parebo imperio, & nictu immutabor ocelli.
Intereá ſæuo nè quà via ducat ab hoſte,
Dinumeras greſſus, nec paruo tempore differs
Supplicium, memoriquè tenes ſignata libello
Faſciculiſque, meæ compacta volumina culpæ.
Ac veluti rupe excelſà, cùm fragmina magna
Præcipitata cadunt, & celſos fluminis iræ
Irruerint montes, atque ardua culmina pulſant;
Aut cùm vorticibus rapidis ſe ſpumeus amnis
Explicat, & tumido depaſcit littora fluctu,
Saxa cauans, voluenſque, ſinu latè obuia cuncta:
Sic homines perdis, ſic ſpem mortalibus aufers
Fortior, & validæ metuendus robore dextræ.
Mutabitquè illis, triſtes mors lurida vultus:
Haud illos tanget viuentis cura nepotis,
Seu fælix degat, miſeroſuè inglorius annos
Exigat, iſtius tanta eſt obliuio ſæcli.
At caro putreſcens ingenti afflicta dolore
Ingemit, & magno mens ſe mærore fatigat,
Dum colit infirmos moribundi corporis artus.

CAP.

Cap. XV.

Eliphaz, altera hac oratione, Iobum, insipientiæ & proteruiæ in Deum nomine, obiurgans, reuocat ad agnitionem peccati sui, per comparationem iustitiæ Dei: deinde iustitiam Dei commendans à manifesto exitio impiorum in hac vita, Iobum ab ista fiducia sua dehortatur.

At Eliphas illi obiurgantia verba retorquens.
Tenè, inquit, frustrà prudentem dicere quisquam
Audeat, Æolijs turgent cûi pectora ventis,
Vanaque mendaci fundis conuicia linguâ?
Nec satis est læsisse homines, ipsumque Tonantem
Voce petis, nec te summi reuerentia tangit
Numinis, & sacro decet ascultare timori.
Non ego nunc testis, Iobe, in tua crimina vêni,
Sat linguæ impietas, & subdola labra prophanum
Euincunt, damnantque: rudi num primus in orbe
Extiteras, cernens facti incunabula mundi?
Scilicet assessor fueras cum surgere montes
Iusserat, & patulis valles subsidere campis.
Secretosque aditus calles, arcana Tonantis!
Aut alit occultas in te prudentia vires?
Num paucis tecum prudentia canuit annis,
Nos longo rerum fatui stulteſcimus vsu?
Nam tuus haud nobis genitor certauerit æuo.

Cur ſic diuinæ ſpernis ſolamina vocis?
Quid tibi tranſuerſam rapuit de cardine mentem?
Cur faſtum ſignant oculi, nutuquè rebelli
In Dominum ferris, blaſphæmaque polluis ora?
Scilicet eſt quiſquam peccati aſpergine liber,
Mortali exceptus gremio? non incola cæli
Immunis degit ſceleris, nec tegmina mundi
Labe carent; quàm fœda & deteſtabilis ergò
Colluuies impuri hominis, nanque arida tellus
Ceu bibit humentes vndas, ſic ſemina culpæ
Sugimus, & totos penitus perfundimur artus.
Pauca tibi fabor, memorem ſi aduerteris aurem,
A priſcis accepta atauis, qui regna tenebant
Iuſtitiæ ſtudio, queîs rectas figere leges
Cura fuit, populoſque æquis aſſueſcere ſceptris,
Nec quiſquam externis pacem violauerat armis.
Vt cruciata diu, multoque enixa dolore
Fœmina, perpetuò tali ſub ſorte laborat
Impietas, vitæque tremit malè conſcius actæ,
Ignorantquè diem ſubitæ quæ nuntia cladis
Aduolat, vt nequeant vltrà ſæuire tyranni.
Horrida vox illis trepidas circumſonat aures,
Vaſtatorque repentinus, nil tale timentes
Exitio premet, & ſul itâ clade obruet hoſtis.
Perpetuas metuet tenebras, lucemque, diemque
Oderit, vt ſtrictus ſemper ſi impendeat enſis,

Emendicabit

Emendicabit victum, caligine tectus
Cymmeriâ, & triſtis ſemper vexabit erynnis.
Ac veluti firmâ Regem ſtipante coronâ,
Claſſica cùm bello inſonuere, globoque cohortes
Confertæ iunctas acuunt in prælia vires:
Sic illos vallo, foſſâque, ac aggere circùm;
Et metus, & cingit trepidis anguſtia curis.
Vtque Deo forti toto conamine bellum
Indixêre, illis fractâ ceruice viciſsim
Irruet in collum, & quà pars denſiſsima parmæ eſt,
Per clypei iaculum figet ſeptemplicis oras.
Ecce nitet, multâ ſplendens pinguedine vultus,
Et lateri fallax aruina incumbit obæſo,
Magnificaſque vrbes vacuis inſtaurat in agris.
At ſubitò labentur opes, peiuſque peribunt
Parta malè, inſtabili tandem deuota ruinæ.
Nec fibras aget impurus, radicibus altas,
Nec primo veris gemmantes tempore ramos
Proferet in lucem, quippe eius germina carpet
Flamma vorax, flatuque Dei ſpirante peribit,
Perpetuas palpans cæcâ ſub nocte tenebras.
At vix vana tamen (ſic vanus faſcinat orbis
Luxus opum, & noſtros ſic ludit gloria ſenſus)
Eſſe putat; donec ſeró vana omnia tandem
Senſerit, & fluxis diſcat diffidere rebus.
Ante diem ſubitò, nec opinâ morte peribit,

Nec patulâ virides frondebunt arbore rami.
Ac veluti ſterilis viti ſua germina ventus
Inuidet, ac Euro mites nudantur oliuæ,
Flos cadit, & nullo ſequitur vindemia fructu:
Sic iacet impietas, ſic ſpe fruſtratur inani,
Et deſolatas deſerta per auia terras
Incolet, & vaſtus latè populabitur ignis
Impuras arces, ſumma ad faſtigia tecti;
Reſtingui in reliquis poterit nec flamma fauillis,
Nulla illis æqui ratio, iura omnia vendunt
Dorophagi, produntqué bonam pro munere cauſſam,
Parturiuntquè dolos, & fraudem in pectore verſant.

CAP. XVI.

Iob, increpatis grauiſsimè amicis, oſtendit quàm indignè ab ipſis exagitetur, quàm grauiter manu Dei prematur, & quantoperè ſe ipſe abijciat: deinde confirmationē, grauiſſimâ reprehenſione redorſus, patronum & cognitorem à Deo ſibi dari petit, ad tuendam gloriam Dei, & innocentiam ſuam coràm omnibus. Poſtremò amicos ad reſipiſcentiam hortatus, concludit ſibi tantùm de morte cogitandum eſſe.

TAlia iactantem, Iobus ſic ore repreſſit;
Fruſtrà iſtis noſtræ ſurdeſcunt vocibus aures,
Nec toties repetita placent: ſempernè moleſtos

Eſſe

Esse iuuat, vanæ nec frena imponere linguæ?
Quid vobis tales animum firmauit in ausus?
O mihi si liceat vel parui temporis vsu
Vobiscum mutare vices! conuicia numquid
Eloquerer, quatereműe caput probrisquè, minisque?
At vobis nostro robur manaret ab ore,
Augeremquè animi vires, morbumque furentem
Lenirem, & grato plagas sermone leuarem.
Nunc mihi seu taceam, tacitâ iactata quiete
Membra carent, & cùm fandi me ceperit ardor,
Nulla quies, sic me cunctorum lerna malorum
Exagitat, fractosquè dolor sic dissipat artus.
Obducitque cutem macies, nec corpore succus
Vllus ineſt, rugæquè in me testantur inanes.
Me Pater omnipotens, infestæ more leænæ
Dilaniat, sequiturquè odijs, frendetque minaci
Dente ferox, oculosque truces scintillat in iras.
Heu quibus opprobrijs petimur, quæ vulnera linguæ
Exacuunt, certantque meis impingere malis
Dedecus, & magnâ pergunt comitante caterua.
Me Deus impuro seruandum tradidit hosti,
Auertitque meos recto de tramite gressus.
Fortunatæ olim carpenti gaudia vitæ
Prosperitas mihi grata fuit, nunc rebus acerbis
Pressus humi iaceo, nunc me ceruice reflexâ
Conterit imbellem, & validis circundedit armis.

Ac veluti iaculis freti, qui figere metis
Signa solent, sic ætherei moderator Olympi
Contortis in me direxit brachia telis,
Perque mihi renes, atque ilia vênit arundo,
Effusique bibit fellis, terra atra cruorem.
Quin etiam insultat misero, fortisque, potensque,
Vulnera vulneribus cumulat, meque obruit armis.
At non his acto furijs, mihi corda rebellem
Nostra vnquam sumpsere animum, sed corpora vili
Præcinxi sacco, summoque à vertice crines
Aspersi cinere, & fædatos puluere vultus
Immersi limo, lachrymisque humentia laui
Lumina, palpebrasque ipsa sub morte natantes.
Quid puras seruasse manus, cæloque supinas
Proderit, innocuæ si sunt hæc præmia vitæ?
Ne nostrum, tellus, celes ingrata cruorem,
Quæque ob vindictam iustorum ad sydera clamas,
Ne sileas, si fortè mihi malè conscius erro.
Vtque neget tellus, celsi qui culmina cœli
Possidet, & summâ tellurem despicit arce,
Testis erit, cordisque, & vitæ haud inscius actæ.
Vos socij, comptæ delectet gratia linguæ,
Sanniisque, & probris, miserum irridetis amicum.
At mea perpetuis decurrunt lumina riuis,
Assiduóque madent luctu, lachrymisque profusis
Quæsiuere Deum, vt clementi exaudiat aure.

O mihi

O mihi fas fuerit, rerum certare parenti
Vt socio, liceatque æquâ contendere lege.
Nam breuis aduênit fugitiui terminus æui,
Atque iter ingrediar mox irremeabile lethi.

CAP. XVII.

Confirmatio, cùm grauissima reprehensione, adhortatus amicos ad resipiscentiam, concludit sibi tantum de morte cogitandum esse.

IAmque adeò tenues noster rarescit in auras
Spiritus, & rigidæ nobis nent fila sorores,
Extremâ sub parte coli, spes sola sepulchri
Permanet, vt busto summos soluamus honores:
At vos insontem intereà ridetis amicum,
Qui sannis gemit assiduò irritatus acerbis;
Quis mihi sponsor erit pro te, quo pignore nobis
Obstringis, Deus alme, fidem, qui nescia veri
Istorum nunc corda facis, nec tollis honore
Qui socio blandæ tendunt venabula dextræ?
Inque ipsos vindex punis delicta nepotes.
Ipse ego nil equidem meritus, iam fabula vulgi
Constituor, gemitúq; meo obscurata fatiscunt
Lumina, & affecto marcent in corpore vires.
Vmbræ instar, primo Titan quam territat ortu.
Res miranda pijs, cùm prauis prospera cedant.

Omnia, quæquè illos ſanctas accendat in iras.
At non hæc quæcunque pijs ſunt tædia vitæ,
Iuſtitiæ nobis ſtudium, & virtutis amorem
Ex animis delere queunt: ſed ficta labaſcit
Impietas, agitata malis, fiducia contrà
Iuſtorum, aſsiduis creſcit firmata procellis.
Non equidem veſtrûm cûiquam prudentia curæ eſt,
Huc aures ergò, & memores conuertite mentes.
Iam vitæ exegi ſpatium, præcordiáque imis
Deficiunt fibris, extremaquè munera claræ
Lucis habent oculos, mox atro vellere mortis
Iuduar, & triſti pallens circundabor vmbrâ.
Si mihi ſpes reſtat ſolius certa ſepulchri,
Et lectum ſternam tenebroſo mortis in antro,
Ac foueæ dicam, genitor dulciſsime rerum,
Et vermi, ſoror, & mater cariſsima, ſalue,
Tùm quorſum promiſſa cadent, quæ maxima nobis
Fingitis, & mundi ſpes oſtentatis inanes!
Cùm mors cuncta ſimul læthali vulnere ſternet.

CAP.

Cap. XVIII.

Bildad, Iobum grauiſſimè increpat, velut omnia ſibi arrogantem, & amicorum monita, iudiciaq; Dei damnantem: deinde elegantiſſimis allegorijs, improborum ſtatum infœlicem percurrit.

Tvnchis offenſus, Bildad, ſibi proxima fandi
Iura capit; nunquamnè tibi iactantia finem
Inueniet, monituſquè ſacros ſub pectore figes
Indocili, & charis aurem præbebis amicis?
Cur, ceu bruta tibi, pronas ſpectantia terras
Deſpicimur, viliſque inſtar ſordeſcimus algæ?
Fare, quis indomitas tantus furor excitat iras?
Num ſolido impellas ſtabilem fundamine terram?
Et firmà poteris rupes è ſede mouere?
Et cœlum terræ, & terrum miſcebis Olympo?
Lux impuri hominis, multo ſi ſplendeat igne,
Mox extinguetur, tenuis ſine lumine flamma,
Lux ſeſe in tenebras vertet: nec lampadis vſus
Vllus erit, cæcæque tegent tentoria noctes.
Deficiet robur, nec mens improuida cernet
Exitium, propriâquè cadet, quam texuit, arte.
Retibus impediet timidæ veſtigia plantæ,
Nec ſeſe expediet, laqueiſque, & caſſe doloſo
Excipient pedicæ, & validus multo impete prædo.
Decipulæ tellure latent, calleſque per omnes

Funiculi, neruoque pedem fallente tenentur.
Vndique pulsabit terror, subitamque capesset
Erro fugam, pedibusque inerit spes nulla salutis.
Absumet que fames robur, laterique recumbet
Pernicies, nec mors parcet saeuissima membris,
Depascetque artus, firmasque in pectore vectes,
Robora, spesque domus multo terrore labascent,
Horrificique ipsum deducet ad ora tyranni.
Quòd si fortè suâ tutus videatur in arce,
(Sed quid dico suâ, quam iam terrorque, metusq;
Incolit?) ambustis subitò consumpta fauillis
Corruet, excipietque auidis incendia venis
Aspersum sulphur, non ipsâ condita radix
Tellure effugiet flammas, ramosque per omnes
Fructusque, & frondes vulcania saeuet ira.
Perpetua ingratum tenebris obliuio nomen
Obruet, & splendore procul, procul orbe repulsus
Exul erit, caecae aeternum sub tegmine mortis.
Nullus ei natus, nulli post fata nepotes:
Nec reliquus quisquam desertos incolet agros.
Haec olim pauidi, memorabunt fata nepotes,
Atque haec attoniti stupeant spectacula viui.
En tibi quo miseras tandem gens impia terras
Fine colat, monitus spernens secura Tonantis.

CAP.

Cap. XIX.

Iob, reiectis ſuperioribus contumelijs, amicos explicatione ſuarum ærumnarum, ad miſericordiam hortatur: fidem & innocentiam ſuam palàm fieri optat, teſtificatione Dei, & beneficio reſurrectionis vitæque æternæ ſe conſolatur: poſtremò illos dehortatur ab inſectatione ſui.

AT non hæc tacito paſſus conuicia Iobus
Ore infit, non ſat, credo, me magna malorum
Exercet ſeries, niſi noſtra in vulnera amici
Arma ferant, ſæuæque acuant opprobria linguæ,
Iam decies poſito perfrictâ fronte pudore.
Si vitam addixi ſceleri, me pœna merentem
Digna manet, verbis non exagitanda ſuperbis;
Nanque Deus ſolus, nobis hæc vulnera fecit.
Me Pater omnipotens fallacibus vndique cingit
Retibus, & noſtras auerſâ negligit aure
Iudicio ceſſante preces, cœleſtia quanuis
Atria, perpetuo ſupplex clamore fatigem.
Ille iter, vt nuſquam nobis loca tuta relinquat,
Sepſit inacceſſum tenebris, capitique coronam.
Abſtulit, vt degam reliquos inglorius annos.
Deſtruxitque ferox, tanquam radicibus arbos
Vulſa iacet, ſteriles deflens ſine pondere ramos.
Quinetiam hoſtili contrà me incanduit irâ,

Turmatimque suas cogens in bella cohortes,
Vndique metatur castra, & tentoria circum
Nostra, fremit pugnas, & firmis obsidet armis.
Ecce mihi charos quondam solatia fratres,
Reddidit infestos animis, notosque reinôuit,
Ne quisquam mihi ferret opem, nec sancta propinqui
Iura colunt, fictique aduerso tempore amici
Potauêre simul lethæi obliuia fontis.
Nec vernæ auscultant Domino, nec iussa parati
Accipiunt famuli, seruum si fortè rogaro,
Conticet, & tacitus ius dedignatur herile.
Ipsa vxor, miserum spernitque ac horret anhelæ
Vocis iter, putri fœtor sic defluit ore,
Nec sobolis curat coniunx communis amorem.
Me pariter risu excipiunt, iuuenesque, senesque,
Consilij pars magna mei; quosque ordine primo
Præcipuos inter quondam amplectebar amicos.
Iam caro diriguit macie, vixque ossibus hæret
Pellis, & arenti dependent in cute dentes.
Vos, si qua est pietas, miserandi casus amici.
Commoueat, qui nunc diuinæ subiacet iræ.
Cur plagas inferre nouas, affligere fortis
More Dei, nostrasque placet depascere carnes,
Nec satiari esu, nec crudo parcere denti?
O vtinam eductum plumbo mea verba volumen
Ærato excipiat calamo, sculptorque peritus

Qua

Quæ dicam, nunquam perituro in marmore figat!
Credo equidem, sine fine perennem degere vitam
Seruatorem orbis, qui me de puluere tandem
Eruet, vt lætus rediuiuo germine surgam.
Ipse ego cùm caries renouatos liquerit artus
His oculis cernam Dominum, propriâque videbo
Carne Deum, quamuis defecto corpore renes
Putrescant nobis, certæ spes illa salutis
Haud dubium monstrabit iter, sæuosque dolores
Leniet, & victà statuet de morte triumphum.
Ergo hæc vobiscum; cur insectamur Iobum?
Cui radix pietatis inest, quæ germina tandem
Proferet, & folijs tellurem vmbrabit opacis?
Nunc autem vobis acri à mucrone cauendum est,
Et ferri metuenda acies, nam feruidus ensis
In scelera, & vindex diuinæ stringitur iræ.
Vt vobis constare queat, iustum esse tribunal
Iudicis, & recto ferri libramine mundum.

CAP. XX.

Tzophar, occasione ex verbis Iobi sumpta, eandem propositionem de misero improborum exitu repetit: & à iustitia Dei, exemplis ordinarijs, atque authoritate verbi diuini confirmat.

VIx ea fatus erat, vocem cùm Sophoar vltrò
Præcipitat. Cui sic gelido sub pectore torpens

Sanguis hebet, tacito vt ferat hæc conuicia vultu?
Quin animo tecum memori momenta reuoluis
Alta vetuſtatis, poſtquàm conceſſa creato
Eſt tellus habitanda homini, nùm perdita ſemper
Impietas, primis ſcelerum defecerit auſis?
Vtque petat Cœlum, & caput inter nubila condat,
Immundas feriet reſupino pondere terras:
Stercoris inſtar erit, quod fædâ excreuerit aluo;
Quique illum rebus quondam vidêre ſecundis,
Dicent, quo tanto deceſſit gloria luxu?
Vtque intempeſtâ volitant inſomnia nocte,
Quæque graues ſomno turbant phantaſmata ſenſus:
Sic ſpes tota eius tenues vaneſcet in auras,
Nec cernent oculi, nec tecta antiqua videbunt.
Fraude Pater creſcit, patrio dat crimine pœnas
Natus, & iniuſto reparat vi rapta parenti.
Indulget vitijs iuuenis, penitusque medullas
Eſt tabes, non oſſa prius putredo relinquet,
Quàm ſimul extremo carpant in puluere, omnium.
Ac veluti linguæ, medicatum melle venenum
Dulce ſapit, cupidiſq; tenet lætantia labris
Toxica, quæ gratâ fallunt dulcedine guſtum:
At cibus vt ſtomacho, primùm deſcendit hianti,
Vertitur in virus, ſæuæ fel dixeris eſſe
Aſſidis, & ſubitâ turgent præcordia morte:
Talis diues opum, quem mundi blanda voluptas

Faſcinat

Fascinat, & feruor sceleratus vexat habendi.
Nulla illi satias, plenóque absorbuit ore
Diuitias, auidusque aurum sub viscera condit:
At miseri subitò turbatum nausea pectus
Aggreditur, vomit ille ingrato gutture quicquid
Hausit opum, fortisque illi Deus ilia pulsat.
Mortiferæ infœlix læthalia pocula suget
Aspidis, ardentiq; extinguit vipera morsu.
Butyri haud riuos, nec flumina euntia melle
Cernet, & assiduo bullantes nectare fontes.
Reddet opes raptas, alieno parta labore
Restituet, quisquam nec deglutisse putaret
Quæ citò cùm rebus prædo mutarit egenis.
Nam triuit tenues, miserosque è paupere tecto
Exuit, haud stabiles instauraturus in ædes.
Nulla quies ventri, optatis fraudabitur aluus
Delicijs, nullâque famem medicauerit escâ.
Nec reliquus cibus vllus erit, victum vigor omnis
Deseret, vtque illi non desit copia rerum,
Pauper erit, spolijs prædo potietur iniquis.
Cumque ineat lætus festæ conuiuia mensæ,
Numinis offensi trepidis furor irruet armis.
Comminùs ense cadet, ferratoque eminùs arcu
Tela venenatâ spirabunt cuspide mortem.
Inuadet terror, splendescent spicula felle,
Quâcunque ingeditur per claustra occulta viarum

Occurrent tenebræ, vel miſſus cælitùs ignis
Sæuiet, vt tantâ nemo de clade ſuperſit.
Sentiet hoſtiles cœlos, inimicaque tellus
Nequitiam tribulo, & ſterili vlciſcetur auenâ;
Et fortuna domus, celeri ceu flumina curſu
Defluet, irati ſic ſtat ſententia Iouæ.
Hæc ſors impuri eſt hominis, hæc portio prauis
Conuenit, haud aliud nequam poſſederit hæres.

CAP. XXI.

Iob, aculeis Tzopharis ſtimulatus, grauiùs amicos increpat: propoſitionem ipſorum, de infœlicitate improborum confutat ratione, exemplis, & auctoritate Dei: quæ deinde nominatim ſibi accommodat, & amicorum conſolationes reſponſáque arguit.

QVæ contra, non hoc, inquit, ſolamine Iobus
Tempus eget, præbete aures, ſolaminis inſtar
Illud erit, iuſtam ſannis nec lædere cauſſam
Pergite, dum verum patienti accipitis aure.
Non ego mortali vanæ certamina linguæ
Inſtitui, mundi mentem mihi territat auctor.
Quin mea perſpicitis nunc infortunia cæci,
Et ſtupidi dextras taciturno apponitis ori?
Nam quoties memini, totos exterreor artus
Horreſcuntque pili, & trepidanti carne tremiſco.

Cur

Cur rerum assiduo superat gens impia luxu,
Prosperitasque illis seros arridet ad annos?
Grata illis colitur tellus, atque vbere crescit
Gleba solo, steriles succo nec fraudat aristas.
Læta domus, nunquam aduersis obnoxia fatis.
Non vaccæ abiciunt fœtus, armentaque campos
Plena terunt, soboliſque suæ fœcunda propago
Exultat cytharis, numerosaq; tympana pulsat.
Cùmque diu ærumnis vacuum transegerit æuum,
Momento optatâ claudit sua lumina morte,
Impia nec tamen hæc gens, imo in pectore mussat;
Omnipotens, procul à nostrâ secede cohorte,
Nobis nulla tuos cura est cognoscere calles,
An frustra ignotum numen dignemur honore?
Fundemusque preces ad surda altaria nostras?
Odi equidem impuras voces, procul illa facessant
Consilia, haud stabili quicquam gens impia dextrâ
Possidet: ah quoties extinctâ lampade noctem
Ingemit, instantem ignarus vitare ruinam.
Aut Pater omnipotens, paleaq; & pulueris instar,
Turbineq;, & rapidis ventorum dissipat alis.
Sæpè luunt nati praui delicta parentis,
Agnoscitq; Deum cùm pocula plena furoris
Et ibit, & Domini accensâ se proluit irâ.
Scilicet extinctus, victuri damna nepotis
Vlla timet, curatue suos post fata nepotes.

Quis tua, summe Deus, tacitis arcana tenebris
Eruet, humanæ non vnquam peruia menti?
Hic opibus diues fœlicis munere vitæ
Fungitur, & pleno despumant vbera lacte,
Irriguisq; madent semper solida ossa medullis.
Ast ille in luctu miserando carmine mortem
Sollicitat, tristisq; exôsus luminis vsum,
Gaudia nulla capit mœstas solantia curas.
Et tamen æqua pari tandem mors funere vtrumque
Mergit, & æroſam proponit vermibus escam.
Non me allata quidem nuper, quæ captio vestra est,
Argumenta latent, vbi nunc excelsa tyranni
Mœnia, magnificis vbi nunc domus inclyta tectis?
His aliquis melius reddet responsa viator,
Hæc documenta notans. Sed sese substrahit iræ
Impius, & sæuos euitat sæpe furores.
Quis scelus obijciet, quis reddet digna tyranno
Supplicia, & pœnas crudelibus exigat ausis?
Illum deducit per amœnæ semita vitæ
Ad tumulum, assiduóque illâ sub mole quiescit.
Dulcis ei vallis; dulces in puluere glebæ,
Innumeras post se gentes, atque agmina ducet,
Innumeræ gentes, atque agmina præcesserunt.
Cur ergò vanæ instruitis solamina linguæ,
Vester iners fœdis putet nam sermo cauillis?

Cap.

CAP. XXII.

Eliphaz, Iobum à contentione aduersus Deum reuocans, iustitiam Dei asserit, iniustitiæ, & impietatis Iobum arguit, exemplo diluuij deterret, & ad seriam resipiscentiam, ac tempestiuam reuocat, adiunctis Dei promissionibus.

MOx Eliphaz linguæ Themanites claustra resoluit.
Num Iouæ quisquam forti, multúmque potenti
Mortalis prodesse queat? si tramite recto
Sinceram carpis vitam, nùm iustior inde
Omnipotens, prauos si contra insistere calles
Eligis, an iustas metuet deposcere pœnas?
At tu, nè simulem, non vllo fine ruebas
In facinus, durum sub iniquo pignore fœnus
Fratribus extorquens, & nudos vestibus artus
Dispolians, non te pauper miserante ferocem
Ore famem pepulit, nec grato munere quisquam
Tædia longa viæ modicis compescuit vndis.
Quinetiam insigni tellus captiua tyranno
Colla dedit, nunquam caussâ, te iudice, diues
Succubuit, nunquam viduæ, nunquam orphanus infans
Liquerunt tua gaudenti subsellia vultu.
Et mirum est, si te terror, si retia cingant
Cæca pedes, tenebræq;, & præceps fluminis ira
Ante oculos Furias, & sæuam sistat Erynnin!

Nec tamen intereà credis mortalia quenquam
Procurare Deum, tenet alti culmina cœli
Scilicet, & ſummis nequicquam præſidet aſtris.
Neuè acie terras poſsit ſpectare patentes,
Impediunt nebulæ, & chaos ætheris interfuſum.
In gyrum, vacuaſque poli circum ambulat oras.
Sicne exempla tibi ſtatuis ſectanda prioris
Nequitiæ, ſic trita placet tibi ſemita mundi?
Nec memor es quando effuſo luit æquore pœnas
Tellus, & grauidi vaſtarunt æthera nimbi?
Gens ſecura Dei, rebuſque elata ſecundis,
Ante diem, procul hinc, procul hinc, diſcede, ferebant,
Omnipotens, nec enim nos verba minacia terrent.
Deliri vatis, nec tali à clade timemus.
Atàm peruerſis ſemper mihi pectus abhorret
Conſilijs, gaudentq; iſta ad ſpectacula iuſti,
Et ſancto rident zelo, dum funera cernunt
Impia, dum præceps quicquid non læſerat vnda,
Flammiuoro iuſtus iudex conſumit hiatu.
Qualis erat quondam Sodome, cùm ſulphure cœlum
Depluit, atque ignis miſeras exhauſerat vrbes.
Iudicij intereà iuſtos ſpes certa ſupremi
Suſtinet, ac alæ diuinæ protegit vmbra.
Ergò, ſi vlla tuæ tangit te cura ſalutis,
Promptus adi Dominum; pacem, veniamque precatus.
Diſce lubens ſacræ perfecta oracula vocis,

Et

Et memori præcepta eius sub pectore versa.
Ille simul videat versæ penetralia mentis,
Sufficiet vires soboli, sceleriſque nefandi
Illuuiem arcebit tectis, arxque aurea surget
Protinùs, haud flauis ophiræ cessura caminis.
Instar rupis erit valido fundamine turris,
Argenti, ac auri cumulis, quos india mittet
Diues opum, nec opem celsi moderator Olympi
Abstrahet, argentóque, auróque vt puluere replens.
Solus delitiæ, suauis tua sola voluptas
Ioua erit, erectóque coles hæc numina vultu.
Orabisque Deum, patulaq; exaudiet aure,
Votaque persolues, succedent omnia rectè
Quæ statues, gressus semper tibi præuia lampas
Diriget, & clarâ fulgebit semita luce.
Nec mala te tantùm duris pressêre periclis
Elatum, tumidúmque animo; quem tollet honore
Ioua, humiles oculos, dimissaquè lumina cernens.
Nec sese seruat solum, qui tramite recto
Ingreditur, sæpè illi & noxia turba salutem
Debet, & innocuæ seruatur munere dextræ.

CAP. XXIII.

Iob ægrè ferens obiurgationem amicorum, sibi iudicium constitui à Deo petit; fidem suam, & integritatem profitetur in medijs calamitatibus. Deinde propositionem aliorum conuellens, docet improbis in hac vita plurimum benè esse, Deum verò, tempus iudiciorum sibi asseruare, & quomodo, & quando decreuit, ea demùm in improbos, familiamque eorum exequi.

IObus ad hæc, tristi defixus pectora curâ,
Non vlla affulget requies, maioraque sumit
Incrementa dolor non enarrabilis vlli.
O vtinam liceat me iudicis antè tribunal
Sistere, & innocuæ rationem reddere causæ!
Non tamen ille velim toto conamine vires
Exerat, & iustum nobis in prælia robur
Suppeditet, qualis fuêuit, quantusque videri
Cùm claris vitæ merito, & pietate decoris
Ius reddit clemens, & iniquis liberat ausis.
Ast ego quas cingam solers indagine terras?
Vertar ad Eoi redeuntia lumina Phœbi
Nusquam est, occiduis nec quâ sol cingitur vndis,
Nec Boreæ in campis, nec quâ sol feruidus axem
Iuduit in flammas, & solis æstuat aruis.
Non illi, qui cuncta videt, nostræ orbita vitæ

Displicuit,

Diſplicuit, quippe erecto veſtigia calle
Inſtitui, nec me carpentem deuia vidit
Vlla dies, ſacræuè oblitum oracula legis.
Vtque aurum multâ purgant fornace recoctum;
Aduerſis me ſic explorat Ioua, Caminis,
Exeam vt è flammâ obrizo purgatior auro.
Ille ferox in me ſolum ſua ſpicula torquet,
Quis tela auertet, quiſnam illius irrita fraudet
Conſilia, & vanas reddet ſine viribus iras?
De me perfecit quicquid decreuerat olim,
Et forſan grauiora manent, (arcana Tonantis
Quippe latent homines,) hinc illius horreo vultus
Aſpicere, & multus vexat mihi pectora terror.
Et mihi ceu ferrum diuturno mollijt ictu
Corda Deus, repletque ſui tremefacta pauore.
Menè mori miſerum tam diras ante tenebras
Non potuiſſe, nec hos letho præuertere luctus!

CAP. XXIV.

Conuellit aliorum propoſitionem, & docet quis ſit improborum ſtatus in hac vita; Deum verò ſuo tempore oportuno, iudicia exequi in eos eorumque familiam, vti volet.

CVr ſeries rerum, mundi cur tempora norit
Ioua, ſuis non hæc ſeruis myſteria pandens?
Cernimus vt ſæuis mundus det colla tyrannis,

Qui neque legitimè diuisos limite campos
Esse volunt, adeò latè discrimine nullo
Omnia vi complent: aliena armenta gregesq;
Diripiunt, patulis nec cessant pascere campis.
Pupillóq; asinum, & tenuis solamina vitæ
Abducunt vaccam viduæ, quam pignore seruent.
Obuius haud prodit pauper; per deuia tutum
Carpit iter, cæcisq; abdit se hæc turba latebris.
Vtque onager dubiæ expectans confinia lucis
Inuigilat prædæ, desertos bellua campos
Incolit, ad crudum assuescitque lalisio victum:
Sic inhiant illi rapto, natisq;, sibiq;
Prospiciunt, multâque exercent strage rapinas.
Seminâque alterius frustrà sudata labore
Falce metit, nunquamque suâ se proluit vuâ
Impius, ac prædo iniustos vindemiat agros.
Nec vestem linquit miseris, dum frigore bruma
Sæuit, & effusis humoribus ingemit æther,
Diluuijque metu per montis summa vagantur,
Pignora diripiunt inopi, non orphana pubes
Tuta latet, pendens lactantis ab vbere mammæ.
Quique famem raras post messem vt pellat, aristas
Colligit, ereptis luget sine pane maniplis.
Quique oleum prælis, & torcularia calcat
Assiduò, haud æstum modicâ leniuerit vuâ
Sedabitue sitim, quamuis labor improbus illum

Vrgeat,

Vrgeat, & plenis spumet vindemia labris.
At miseri intereá replent clamoribus vrbes,
Et luctu ingenti cœli conuexa fatigant
Atria ne quicquam, innocuóque imbuta cruore
Ætherium frustrà tellus implorat Olympum.
Et tamen impietas vmbrâ se noctis opacæ
Occulit, accensæque odit confinia lucis.
Manè latro iugulat, sub lucem occîdit egenos,
Luce notat quas fur sub noctem perforet ædes,
Se furuis credens tenebris, his mollis adulter
Vertitur ad facinus, vicinaque lumina mortis
Instar habens, fœdum in tenebris delibat amorem.
Mox vbi res patuit, fugit ilicet ocyor vndâ
Precipiti trepidans, incultaquè sentibus arua
Occupat, errantem passim vestigia terrent
Omnia, quâ multo purgatur vinea cultu.
Ac tanquam gelidus, canis in montibus humor
Liquitur, & calidos metuens nix frigida soles
Terra bibit sitiens, auidéque ingurgitat vndas:
Carnea sic subitò putres se gleba resoluit
In cineres, vires præstant peccata sepulchro.
Nec memor est eius genitrix, obliuia cunctos
Alta tenent, gratâ pascunt dulcedine vermes.
Frangitur & putris tanquàm succiditur arbos.
Ille etenim affligit steriles, viduasque relinquit
Parcus opis, fortíque viro, multúmque potenti

Instruit exitium, si quis consistere contrà
Audeat, hunc propriæ cogit diffidere vitæ,
Illum fidentem Iouæ indulgentia reddit.
Qui tamen assiduo peruersos lumine gressus
Perspicit, intentisque vias perlustrat ocellis.
Sublimes tollit subitò, subitóque premuntur
Exitio, sicuti summis qui culmen aristis
Demetit, & grauidas succidit arundine spicas.
Quis me mentiri, quis verbis dicere contrà
Audeat, aut sese tàm iustæ opponere caussæ?

CAP. XXV.

Bildad, Iobum confirmantem integritatem suam, ex comparatione Maiestatis diuinę, cœlestiumq; corporum reprehendit.

IAmque adeò vocem vacuo collegerat ore
Bildad, & hæc infit: superi quem cernimus Orbis
Concentum nunquid constanti pace ligauit
Omnipotens, rerum soli cui summa potestas?
Nùm quæ eius cingunt solium, laudantque cohortes
Angelicæ, constant numero, nùm lumina mundo
Perspicuâ solus fundit radiantia luce?
Et tamen impuro quisquam de semine cretus,
Iustitiâ audebit sese conferre Tonanti?
Tanta est humanæ fiducia turgida mentis!
O scelus infandum, non illi candida Phœbe

Luceat,

Luceat, aut rutilis palleſcant ignibus aſtra.
Et quæ laus hominis miſeri, quem dicere vermem
Poſsis, & vilis pollutum reptile terræ!

CAP. XXVI.

Iob reiectis ironicè ſermonibus Bildad: ampliùs prædicat omnipotentiam & ſapientiam Dei, à rerum cognitione, creatione, & adminiſtratione.

FInierat, quem mox alterno excepit Iobus
Alloquio; quânam preſſas ſub pondere vires
Arte leuas Bildad? quis te ſecreta magiſtro
Ardua, & immenſi diſcat miracula mundi?
Semina ſub terris rediuiuo germine ſurgunt,
Squamigeriq; greges, & valdè immania cæte,
Æquorei ſolùm norunt cunabula ponti.
At rerum æternus genitor, Cocytia latè
Regna videt, nullis tenebrarum imperuia velis.
Ille ſui per inane altùm tentoria cœli
Explicuit, ſolidæque appandens pondera terræ
In medio, nullis docuit ſubſiſtere fulcris.
Ille etiam liquido ſuſpenſas fornice lymphas
Comprimit, effuſo vaſtent ne gurgite terras,
Flammiferumquè arcet nebulis volitantibus æſtum.
Neuè ſuâ Nereus turgeſceret altiùs vndâ,
Præſcriptô rabiem ponti compeſcuit alueô,
Altaquè vel nutu ſolo concuſſa tremiſcunt

Atria, & attonitæ cœlo titubante columnæ.
Nunc ſeſe attollit, iactatque ad ſydera fluctus,
Et mox horriſono ſubſidit murmure pontus,
Tanta Dei virtus mundi ſe corpore miſcet.
Quin & mirando cælos ſua tecta decore
Imbuit, & tortum ſtellas formauit in anguem.
Ille inter geminas vrſas ſeptem implicat orbes,
Et ſpiras ſeptem, & ſinuoſa volumina torquet,
In gyrumq; vrſæ circundat ſigna minoris,
Et caudâ ſeſe à maiori ſeparat vrſâ,
Ornamentum inſigne poli: quis cætera fando
Explicet, aut Iouæ exhorrenda tonitrua pandat?
Ad nos vix horum tenuis perlabitur aura.

CAP. XXVII.

Iob, Deum teſtem adhibens, amicos reprehendit, probos & improbos, vſu afflictionum docet innoteſcere: ac poſtremò, ſapientiam Dei, hominibꝰ quantumuis ſagacibus, imperueſtigabilem, & Deo ſoli ab æterno cognitam fuiſſe oſtendit.

COnticuit, ruptóque hæc inſuper addidit ore;
Vt viuit Deus, vtque eius nunc numina teſtor,
Qui me Iudicio miſerum circundat iniquo,
Nec noſtros vllo dignatur fine labores,
Æthere dum vescar, dum ſpiritus hos reget artus,
Iniuſto nunquam temerabo crimine linguam.

Abſit

Abſit vt à recto declinans tramite, veſtrum
Ingrediar periturus iter, ſunt conſcia nobis
Pectora iuſtitiæ, diro nec mollia vinci
Hortatu ſcelerum, & prauis imperuia telis.
Sit, quicunque in me dictis inſurgit iniquis
Impius, & prauus quicunque inuaſerit hoſtis.
At quæ ſpes homini nequam, ſi copia rerum
Affluat, ereptâ ſubitò de corpore vitâ?
Nam nec preſſa malis ſceleratæ factio turbæ
Ad Iouam ſua vota facit, nec victa procellis
Spectat opem Cœli, nec ſi ſe voce fatigent,
Omnipotens illis rebus ſuccurreret arctis.
Me contrà, quis ſim diuinæ tempore plagæ
Cernitis, & planâ non ceſſo voce fateri.
Voſque hortor vanis vltrà deſiſtere verbis.
Namque hæc iniuſtis ſors eſt præſcripta tyrannis,
Hæredi hæc patrio ſuccedit portio iure.
Illis ſi fuerit ſobolis numeroſa propago,
Crudeli cunctos cernas occumbere ferro,
Aut rabies inopes conſumet tabida edendi,
Aut ipſo lethi iugulo, ſub morte ſepultos
Haud vnquam viduo deflebit nænia cantu.
Quod ſi larga beet pietai veſtis, & auri
Copia, quam multæ Oceano numerantur arenæ,
Vtraque iuſtitiæ cedent, partíſque fruetur
Innocuus, rerúmq; pio ditabitur vſu.

Ille suas ædes, æuo sua tecta perenni
Extruit, & sæclis sperat monumenta futuris.
Non aliter quàm quæ decussâ tinea veste
Decidit, aut aruis condit mappalia pastor.
Aut quæ maturos seruant vnbracula fructus.
Nocte cubat diues, non illi copia maior
Affluxisse potest, detersо pollice somno
Indiget, horrorúmque atris circundatur vmbris.
Diuinæ præceps tempestas ingruit iræ,
Abripiet turbo, & violentior irruet Eurus,
Turbabit q; loco, concussa q; murmure tellus
Eyciet de sede virum, plagas q; repentè
Ingeminans, iusti rector non parcet Olympi.
Ille fugam, si quâ possit vitare, capessens,
Diuinæ nunquam vindictam effugerit iræ.
Quis non applaudat, cernit cùm tale tyranni
Exitium, exertâ illudit cuî sannio linguâ?

Cap. XXVIII.

Sapientia Dei imperuestigabilis homini, Deóque soli cognita.

Ferri, æris, fuluíque auri, argentíque metalla,
Scindimus è terræ venis, doctá sq; sequuntur
Artificis liquefacta manus, arcanaquè pandit
Naturæ secreta labor, lucemque reuisunt

Ætheream

Ætheream, infernis altè ſubducta cauernis.
Exundat torrens, terræquè illapſa meatus
Præbet iter tutum, ſed ſubterranea lympha
Ingenio cedit, doctâque educitur arte.
Eſt vbi flaua Ceres excultis naſcitur aruis,
Sulphureis ſubtùs ſpirans incendia venis.
Illic ſapphirus lapis eſt, ramentaquè flaua
Suppeditat puluis, generoſum vt diſparet aurum.
Non illas volucri, quæ ſulcant æthera, pennâ
Cognouêre vias, nec ſolis vulturis aruis
Sentit iter, rabido tellus ignota Leoni,
Et quæcunque terit deſertos vngula campos.
Quinetiam montes imâ à radice reuellit.
Subuertitque ferox, duríſque è cautibus amnes
Elicit, & ſilicum prorumpunt flumina venis,
Et cohibet ripis, & fontil us obligat ora.
Ille videt quicquid pretioſo occulta reſeruat
Terra ſinu, ac imis Acherontia regna lacunis.
Sed quibus in terris eius prudentia fixit
Ignotas homini ſedes, quo comparet illam
Mercator pretio, quæ non has incolit oras?
Quæris abyſſum vbi ſit, ſeſe nouiſſe negabit,
Ignorant alto demerſi gurgite campi,
Nuſquam eius venalis bonos, argentea ſordent
Pondera, nec flauis Ophyre confiſa caminis
Iactat opes, non hanc Sapphiro aut Onyche quiſquam,

Crystalloue paret, puro est præstantior auro,
Sardius haud æquet, non ipsa est vnio tanti,
Nec qui perspicuo splendet Carbunculus igne,
Nec se Smarragdus, nec ipse Topazius æquet
Æthiopum, nec quod gemmarum maximus orbis
Illachrymat, Tethyse suis irrorat arenis.
Ast vbi secretas fixit prudentia sedes,
Ignorat quicquid mortali carpitur aurâ,
Nescit iter leuibus cœlo quæ remigat alis,
Perditio, & mors ipsa, imis defossa latebris,
Fama, aiunt nostras tantùm peruênit ad aures,
At Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Secretos nouit calles, arcanáque tecta.
Namque illi totum Nereûs, quà personat orbem,
Et cœli conuexa patent, qui pondera nimbis
Ventorumque alis statuit, libramine iusto
Mensus aquas, superâ seu pendent fornice lymphæ,
Seu pelagus vastum concluſis æstuet vndis.
Cùmque suas pluuiæ, fulgur, tonitrúque tremendum.
Acciperent leges, illîc prudentia visa est;
Exeruit vires, factas res ordine cunctas
Omnibus aptauit numeris, penitúsque reposta
Consilia, atque aditus perueſtigauerat imos:
Ast hæc scire hominem voluit; sapientia summa est
Ex Animo metuisse Deum, & prudentia prima
A vitio fugere, & rectos insistere calles.

CAP.

Cap. XXIX.

Iob, priſtinæ amplitudinis pluribus recordatus, exoptat redintegrationem illius, præſentium calamitatum vim, ex comparatione illius fœlicitatis, grauiſſimè amplificat: ſtudium ſuum in colenda humanitate, pietate, officijſque omnibus in Deum, & homines profitetur: propter quod in præſentis mali indignationem irrumpens, dira ſibi imprecatur, ſi contra quàm debuit, fecerit, Deum prouocat, & iudicium conſtitui petit.

Perrexit Iobus, linguæ ſic clauſtra reſoluens.
O mihi præteritæ referat ſi tempora vitæ
Omnipotens, qualis primæ ſub flore iuuentæ
Numinis auxilio fueram, cùm præuia lampas
Dirigeret certos nobis per inhoſpita greſſus.
Non eius noſtros tùm dedignata penates
Cura fuit, numeroſa mihi cùm luderet aulâ
Progenies, Oleóque meæ veſtigia plantæ
Abluerem, & rupes ſuccos ſtillaret oliuæ,
Cùmq; vrbis peterem portas, ſolióque vocatis
Iura darem populis, tunc inconſulta Iuuentus
Condere ſe latebris, aſſurgere cana ſenectus
Suêuerat, intenti Proceres tacita ora tenebant,
Nec quiſquam ſoluit nocituram in murmura linguam.
Me, quicunque aderant, vno ſimul ore ferebant

Ad cœlos, quoniam pauper me iudice tutam
Senſit opem, & nullo pubes defenſa patrono
Patris egens, linguis nobis, animiſque fauebant
Afflicti, & vidui deflentes tædia lecti.
Vndique conſpicuum circumradiabat amictus
Iuſtitiæ, & recti cinctus diademate vertex.
Pro pedibus claudis fueram, pro lumine cæcis,
Atque orbis genitore, parens; mihi ſedula cura
Adfuit, ignotas ſtudio perquirere lites.
Cùmque inopes tererent, diſperſos ore molares
Illiſi, & fracto prædam de dente recepi.
Tùm mihi fœlicis promiſi ſæcula vitæ,
Extremumque diem fati, ceu feſſa ſenectam
Morte nouat Phœnix terris Oriente Remotis.
Ac veluti irriguæ quæ conſita margine ripæ eſt
Arbor ero fœcunda diu, cœlique perenni
Rore fruar, nomenque meum, laudeſque manebunt
Perpetuò, nullis fortunæ obnoxia telis.
Accreſcent firmæ renouato robore vires.
Parebat populus, cupidàque exceperat aure
Dicta mea, & muti me conſultante ſilebant;
Nec mea prudentûm quiſquam reſponſa refellit:
Intereà totus noſtro pendebat ab ore,
Dura ſiti tanquàm tellus, cui roſcida ſtillat.
Vnda poli, & lymphis arentia temperat arua.
Si me fortè ioci caperent, & gaudia Riſu,

Vix

Vix me credebant vultus liquiſſe ſeueros,
Offenſæ timidi, ſemper primaria ſedes
Cætibus in medijs ceſſit mihi, regius vni
Eſt delatus honos, ceu rex, cingente coronâ,
Solatur luctum verbis, & pectora mulcet.

CAP. XXX.

Irrumpit in indignationem præſentis mali, & miſeriarum ſuarum, calamitatum commemoratione flebili, altius repetito.

NVnc me ludibrio iuuenes, viliſque popelli
Quiſquiliæ excipiunt, quorum vix ante parentes
Dignatus catulis fueram præponere noſtris,
Aut armenta ſequi, ſordes, & inertia terræ
Pondera, quos male ſuada fames, & turpis egeſtas
Damnatos ſceleris procul in ſpelæa ferarum
Compulit, aſsiduo terras vbi vomere nunquam
Taurus arat, nullos damnant ſua vota colones
Sed vitam vrticis tolerant, ſpinoſaque carpunt
Arbuta, vulcanumque fouent in ſtipite raro
Iuniperi: medias ſi fortè intrauerit vrbes,
Vt furem exſibilant, coguntque excedere portis.
Ille ſubit foſſas alto torrente cauernas,
Et ſcopulos vipreta inter, frigúſque famemque
Ingeminat, rabidos credas rugire leones.

Fæx vulgi, genus impurum, ignauóque parente
Progenitum, limi ac telluris inutile germen,
In me decantant Satyras, ac carmina dicunt.
Elongant seſe, & læuo procul omine vitant,
Nec ceſſant fœdare ſuo mea tempora ſputo.
Quippe Deus noſtri neruum iam diſcidit arcus,
Afflixitque malis, & frænum his depulit ore.
Inſurgunt in me pueri, dextrâque iuuentus
Irruit, impellitque pedes, veſtigia calcat
Exitij, tritóque premor, ceu ſemita, calle.
Diruta noſtra via eſt, quanuis nil hoſtibus iſta
Profuerint, ruptóque hoſtiles tramite turmæ
Irrumpunt caſtra, & victâ ſtatione triumphant.
Vndique circundat terror, ventíque ruentes
Abripiunt animam: ceu concita turbine nubes
Fracta ſalus perijt totis emarcida neruis.
Nec mihi nox curas minuit, iactataque vaſtat
Oſſa dolor, fœdum virus mihi ſordida veſtis
Imbuit, & cingit polluto tegmine corpus
Infectum triuijs, & multo puluere merſum.
Tu tamen interea cæleſtis conditor aulæ
Nuſquam ades afflicto, ſed multâ voce rogatus
Vota finis leuibus ventorum errare procellis:
Ipſe quoque hoſtiles animos, inimicáque ſpiras
Pectora, & infeſtis contra me accingeris armis,
Sublimemque altis ventorum ſubuehis alis,

Diffluat,

Diffluat vt tenuis consumpto corpore vita.
Non equidem ignoro tandem quin debita fatis
Persoluenda mihi, sed nunquid meta laborum
Certa manet vitâ functum, vel vindicis ira
Sæuiet in mortem, & cineres affliget inertes?
Lugebitque suis cæcâ sub mole querelis?
Menè vnquam siccis quisquam conspexit ocellis
Cùm gemeret pauper, rebusque attritus egenis
Suspiraret opem? sed me tum prospera cuncta
Sperantem, aduersa excipiunt, lucemq; tenebræ
Eripiunt, regnatque imo sub pectore, nullo
Fine, dolor: nigrum, solis non reddidit ardor.
Auscultat magnâ clamantem concio voce,
Miraturque nouas voces, lamenta draconis,
Aut quales vacuos terret cùm Struthio campos:
Decolor ecce caro est, calidóque exæstuat intus
Ardens ore vapor, cytharæq; & nablia cantum
Mutarunt lachrymis, & fletu pectora pulsant.

CAP. XXXI.

Iobus, integritatem suam, diris imprecationibus profitetur: prouocans Deum, & iudicium constitui petit.

IPse ego cùm proprijs, quondam sum pactus ocellis,
Accepique fidem, nè me vreret vlla videndo
Fœmina, & arcanum virgo spiraret amorem:

Nam quæ ſpes nobis ſuperis reſtaret in oris.
Si vitij ſectarer iter, quod tramite vaſto
Ducit ad infernas, pallentia regna, tenebras?
Ante oculos, pater alme, tuos noſtræ orbita vitæ
Tota patet, binas æquato examine lances
Sume manu, quo ſe ſceleris contagio noſtri
Deprimat, innocuæ vergant quo pondera vitæ.
Si me peruerſos calles, oculiq; ſequutum
Illecebras, patulæ macularunt munera dextræ:
Tunc quæcunque ſeges noſtris adoleſcit ariſtis
Me fugiat, cedatque nouis tranſcripta colonis.
Si cuiquam inſidijs, obſedi limen amatæ
Coniugis, aut caſtas violaui crimine tædas,
Crimine quo nullum ſæuas magè concitat iras
Iudicis, atque imâ populatur ſede penates.
Per me nulla mora eſt, noſtri quin fœdera lecti
Polluat, & mollis ſtupro ſe iactet adulter.
Non ego Iudicio famulos crudelis acerbo
Oppreſsi, memor vt fragilis conceperit vlua,
Humanam effigiem, & ſimilis primordia vitæ.
Sic ſe propitium ſummi clementia patris
Præbeat, excelſâ cùm maieſtate tribunal
Iudicis ingreſsus trutinæ moderamine rectæ,
Vrgebitq; hominum vitas, & præmia ponet.
Si fera pauperies, noſtram indignata repulſam
Ingemuit, viduiſue auerti quæſtibus aurem.

Si

Si ſine pupillis cerealia munera feſſus
Indulſi genio, teneris nam primitùs annis
Accreuit mecum, & ſenſit gens orba parentem.
Si mihi deſpectus pauper, ſub frigore quiſquam
Veſtis inops iacuit, noſtræ nec vellere lanæ
Ceſsit hyems tergo, & nobis bona multa precatus
Cinxerat exultans; ſi me ſub iudice iniquo
Orphana ſuccubuit pubes, luxata lacertis
Brachia, & attritis marceſcant oſſa medullis.
Quippe imo ſemper ſedit mihi pectore terror
Numinis, & celſæ metui faſtigia dextræ.
Si mihi mentem vnquam fului fiducia nummi
Extulit, aggeſti quanuis ſuperauerat auri
Congeries, ſi me illexit Titania Phœbe
Accenſum radijs, vel qui ſol temperat orbem,
Oſcula ſi iunxi dextræ, per ſydera iurans,
Infandum ſcelus & iuſtâ mercede piandum,
Quodque nefas Iouam gentili more negaſſem.
Si mihi cum fractis hoſtis diffideret armis,
Gaudia tentarunt mentem, ſi vindice linguâ
Impuras vltus voces maledicta rependi,
Si non abſtinui famulum, cum nomine noſtro
Exigeret pœnas, odio irritatus acerbo.
Hoſpitij mihi cura fuit, nè clauſa viator
Limina, & obſtructas defleret cardine portas.
Si quando occului commiſſæ crimina culpæ,

Et tacui vano noſtri occæcatus amore,
Qualis Adam, primi ſuxit cùm mala veneni,
Syluarum denſâ ſeſe caligine texit;
Poſteritas ſequitur triſtis malè conſcia culpæ.
Quòd ſi fortè fuit, populo turbante, coorta
Seditio, impauidum medio me concio cœtu
Vidit pacificis mulcentem pectora dictis.
Nulli vim feci, nec læſi ignobile vulgus,
Sed iuſtæ patulo reſonabant cardine portæ.
O mihi ſi liceat iuſto ſub iudice cauſam
Dicere, ſi calamo vitæ momenta peractæ
Digerat, & dicam nobis inſcriberet hoſtis!
Illa meis monumenta humeris, & vertice celſo
Obuia geſtarem cuuctis, & principis inſtar
Ingrederer tali fulgens ſublimis amictu.
Si mea lugenti tellus defleuit aratro,
Si ſulci gemuere mei, ſi dura coloni
Conditio, nullâ Cererem mercede miniſtrat:
Tùm generoſa licet committam ſemina terræ,
Carduus, & ſpinis ſurgat paliurus acutis.
Hæc Iobus, & facto ſic tandem fine, quieuit.

CAP. XXXII.

Elihu, ſilentio Iobi amicorumque, velut occaſione vtens, & partim illius verbis quibuſdam, partim horum taciturnitate offenſus, ſermonem aggreditur:

greditur: & ab excusatione orsus, necessitatem dicendi, sibi afferri docet à spiritu Dei, illorum silentio & testificatione suæ conscientiæ: tùm verba Iobi repetens, pluribus argumentis redarguit: ac postremò, Iobo copiam respondendi, si velit, facit.

ATtres non vltrà pergunt contendere amici,
Quod sese nullo maculatum crimine vitæ
Crederet, idque vltrò verbis iactaret Iobus.
Quæ postquàm Elihu vidit, Barachelia proles,
Qui Buzen numerabat auum, Ramitide clarâ
Stirpe satus, calidos irarum concipit æstus.
Hinc indigna virum iactantia mouit Iobi,
Qui sese auderet rerum præferre parenti.
Illinc ardebat furijs, quòd muta tenerent
Ora omnes, & quem firmâ ratione nequibant
Vincere damnantes, animos auxisse superbos.
Non tamen indulsit linguæ, veritusq; senectam,
Canitiem merito prudens affecit honore.
Sed cùm nulla illis pulsarent murmura linguas,
Iratus tales diffudit ab ore loquelas:
Hâc me vostra tenús, primæ lanugo iuuentæ
Terruit, auderem canæ nè nostra senectæ
Sensa loqui, nanque attritis prudentia ab annis

Visa mihi, seróq; vsu pendere magistro.
At Pater omnipotens, sacri spiramine flatus
Imbuit humanos animos, & cælica pandit
Dona viris: sapiunt diuinò munere parui,
Desipiunt multi, quos spargunt tempora cani.
Audite, expendi vestra certamina vocis
Alternásque vices fandi, nec victor Iobum
Arguit, aut rectâ quisquam ratione refellit.
Nam ratio vobis hæc prudentissima visa est;
Non illum mortale aliquid, sed concita terret
Ira Dei, iustísque luit sua crimina pœnis.
Ipse illum, quoniam potior sub pectore nobis
Sermo sedet, prior aggrediar, iustèq; mouebo.
Terror habet reliquos, tacitâque silentia signant
Ora manu, mutæque hærent in gutture voces,
Quid moror? ipse meo promam de pectore verba,
Pectore quod multo iamdudum murmure claustris
Æstuat, & patulas certat proferre sub auras:
Non aliter concluса cadis, bullantibus vndis
Musta gemunt intus, spumat vis ignea Bacchi.
Ergo iter expediam linguæ, grauidóque leuabo
Fasce animum, nec personam, aut discrimina vultus
Respiciam, nec me mutato nomine quenquam
Compellare iuuat, fictis præfatio verbis
Displicet; vtentem, subitâ me morte Creator
Perderet, & tristi Æternùm consumerer igne.

CAP.

CAP. XXXIII.

Altera Oratione Iobum aggreditur Elihu, cuius partes ſunt quatuor: Exordium, Propoſitio, confutatio, & Concluſio. Exordium ſcz. vſque ad verſum 8. Propoſitio, vſque ad verſum 12. Confutatio vſque ad 31. verſum, & concluſio.

NVnc his, quæ dicam memorem te aduertere mentem
Iobe precor, puro quoniam de pectore ducam
Sinceram nullo fucatam crimine vocem.
Me ſacer effinxit fragilis de puluere limi
Flatus, & accendit vegetam ſpiramine vitam.
Reſponde, & promptis contra me accingere verbis.
Quid metuis? quin noſtra vides, interritus, ora?
Figmentum mortale vimes, non aſpera nobis
Verba ſonant, quamuis meritus ſis aſpera verba.
Annon iſta meas nuper vox perculit aures?
Immunem ſceleris vitam, ſine labe peregi,
Oppugnat me fraude Deus, Mauortia frendens
Ora ferox, neruóque pedem, atque obſeſſa viarum
Clauſtra tenet, nonnè agnoſcis veſtigia vocis.
Iniuſtæ? quid enim diuina potentia cedet
Iobe, tibi, tolléſque animos, cœlumque laceſſes,
Si tecum omnipotens verbis certare recuſet?
Sed quibus ille modis humanas, accipe, mentes
Erudiat; nam vel ſeſe ſub nocte ſilenti

Cùm tacitos voluit Phœbe Titania currus
Exhibet, inquè ſonum ſinuoſas explicat aures,
Informátque animum monitis, quid quemque ſequi fas,
Quæ via declinet recto, quàm dira rebelles
Pœna manet, tùm quâ poſſint ratione ſupremum
Exitium, ferrique acris vitare furorem.
Aut quatit affectos labefactis oſſibus artus,
Immittitque luem, non illum pocula Bacchi
Vlla iuuant, ſordet Cereris genialis arundo.
Carnea marceſcit moles, flaccetque medullis
Omnis honos, ſupereſt mortis niſi nomen inane.
Tùm ſi quis pietate valens, cûi pectore ſuada
Inſidet, interpres diuini, & nuncius oris,
Iuſtitiæ pandat calles, veniamque precatus,
Vota ferat Iouæ: afflicti miſerere redemptor,
Interitu ſerua, ſpes in te ſola recumbit:
Propitium nobis Chriſti te victima reddat,
Reſtituet primæ quondam ceu flore iuuentæ;
Ille colet Iouam ſupplex, & pectore toto
Diliget, & vultu lætus gaudebit amæno.
Gratuito reddet miſeratus Ioua fauore
Iuſtitiam, tunc ille altâ per compita voce,
Peccaui miſer, & recto de tramite flexi
Iuſque, iter; haud iſtos inſiſtere calles
Profuit, heu noſtræ ſenſi infortunia culpæ.
Ille meam medijs animam de faucibus Orci

Eruit,

Eruit, atque nouâ dignatur luce redemptor.
Hæc fortis sunt facta Dei, bis terque monentis,
Qui seruat foueâ, qui viuâ lampade lustrat.
Auscultа, attentas hic sermo postulat aures.
Si quid habes dignum profer: sed, Iobe, silere,
Profuerit, nostro prudentia manat ab ore,
Seruandi mihi namq; tui, primaria cura est.

CAP. XXXIIII.

Elihu, Iobi tacentis superiora verba repetens, absurditatem eorum demonstrat à iustissima naturâ, & operibus Dei; præfractos perdentis, & seruantis calamitosos inuocantes ipsum: tum ad misericordiam Dei eum reuocans, à superioribus obmurmurationibus dehortatur, & Deum postremò orat, vt illud iudicio suo præstare velit.

COnticuêre alij, ruptôque hæc insuper ore
Addidit Elihu; vos O quibus abdita rerum
Scire datum, rectique vias callêre latentes,
Huc adhibete animos, studio explorata fideli
Eloquar, occultasque æqui tentabo latebras.
Auris sermonis iudex, gustusque palatum est.
Immunem sceleris sese proponit Iobus,
Iniustas clades, & iniquas numinis iras
Arguit, afflictamque omni sine crimine vitam.
Mentiar haud, inquit, quum sim sine crimine, telis

Obrutus, & ſpirent lethalia ſpicula mortem.
Nùm par impietas Stygio ſeſe extulit antro?
Inuentuſue lobo ſimilis, ludibria tanta
Qui voret, innocuæ ceu dulcia munera lymphæ?
Séque illis addit ſocium, quos nulla Tonantis
Cura tenet, nullis virtus compeſcit habenis?
Quorſum, inquit, ſtudio quiſquam ducatur inani,
Et gratam curet Iouæ traducere vitam?
Vos, O cordati, appello; ſcelerata faceſſant
Verba procul, nec enim nouit cæleſte tribunal
Flagitium, arbitrio mundum quod temperat æquo,
Et pœnas ſceleri, & virtuti præmia ponit.
Annè alium quenquam terræ præfecit habenis,
Immenſoue præeſt alter, quem condidit orbi?
Ille ſimul flatum vaſti quo machina mundi
Tota agitur, ſpirantque illis animantia terris,
Euocet ad ſeſe, ſubitò exanimata fatiſcent
Omnia, & informi ſoluet ſe tabe cadauer
In cineres, generis quondam primordia noſtri.
Da mihi te facilem, ſi quid tibi mentis, Iobe,
Reſtat adhuc, tantumnè tuo ſcelus excidit ore,
Æternum rerum Dominum, Cœlique perennem
Regnatorem, odiſſe pios, indicere bellum
Iuſtitiæ, & ſanctum maculari labe tribunal?
At non hæc impunè ſinit patrare per orbem,
Iniuſtoſque duces populi, Regeſque ſuperbos

Magna-

Magnatésque, inopesque æquo discrimine pensat.
Cùmque furor vulgi fæcem populatur inertis,
Nulla à clade tegent iniustos sceptra tyrannos,
Sed sine vi pereunt mediæ sub tempora noctis.
Ille etenim intentis orbem perlustrat ocellis,
Obseruatque vias hominum, tenebrosa profundæ
Mortis claustra subit, ne quo se condat in antro
Impietas, fidatué vllis occulta latebris.
Nec tamen immeritâ quenquam iustissimus vltor
Clade petit, fortèsque viros, multúmque potentes
Conterit, vt solio iustus succedat iniquo.
Facta iniusta patent, nam noctis protinùs vmbras
Discutit, & clarâ resplendent omnia luce.
Ac veluti inflatos quisquam comploserit vtres,
Sic ille in propriâ tumidus statione peribit:
Namque Dei spreuit leges, & noluit eius
Pacta sequi, gemitusque inopes, & tristia verba
Pauperis, excelsas Iouæ deduxit ad aures.
Ille simul pacem dederit, quis territa turbet
Pectora, quis vultus rursum condente serenos
Pandat opem miseris, an non offensus iniquo
Dat fatuos reges populo, rursumque rebelli
Immites frænat populo turbante tyrannos?
Ergo Deum implora fortem, cui parcere cordi
Insidet, inuitus sese conuertit ad iras.
Quod video, scelus agnosco, me crimina tecta

Obrutus, & ſpirent lethalia ſpicula mortem.
Nùm par impietas Stygio ſeſe extulit antro?
Inuentuſue Iobo ſimilis, iudibria tanta
Qui voret, innocuæ ceu dulcia munera lymphæ?
Séque illis addit ſocium, quos nulla Tonantis
Cura tenet, nullis virtus compeſcit habenis?
Quorſum, inquit, ſtudio quiſquam ducatur inani,
Et gratam curet Iouæ traducere vitam?
Vos, O cordati, appello, ſcelerata fàceſſant
Verba procul, nec enim nouit cæleſte tribunal
Flagitium, arbitrio mundum quod temperat æquo,
Et pœnas ſceleri, & virtuti præmia ponit.
Annè alium quenquam terræ præfecit habenis,
Immenſoué præeſt alter, quem condidit orbi?
Ille ſimul flatum vaſti quo machina mundi
Tota agitur, ſpirantque iſtis animantia terris,
Euocet ad ſeſe, ſubitò exanimata fatiſcent
Omnia, & informi ſoluet ſe tabe cadauer
In cineres, generis quondam primordia noſtri.
Da mihi te facilem, ſi quid tibi mentis, Iobe,
Reſtat adhuc, tantumnè tuo ſcelus excidit ore,
Æternum rerum Dominum, Cœlique perennem
Regnatorem, odiſſe pios, indicere bellum
Iuſtitiæ, & ſanctum maculari labe tribunal?
At non hæc impunè ſinit patrare per orbem,
Iniuſtoſque duces populi, Regeſque ſuperbos

Magna-

Magnatéſque, inopeſque æquo diſcrimine penſat.
Cùmque furor vulgi fæcem populatur inertis,
Nulla à clade tegent iniuſtos ſceptra tyrannos,
Sed ſine vi pereunt mediæ ſub tempora noctis.
Ille etenim intentis orbem perluſtrat ocellis,
Obſeruatque vias hominum, tenebroſa profundæ
Mortis clauſtra ſubit, ne quo ſe condat in antro
Impietas, fidatué vllis occulta latebris.
Nec tamen immeritâ quenquam iuſtiſſimus vltor
Clade petit, fortéſque viros, multúmque potentes
Conterit, vt ſolio iuſtus ſuccedat iniquo.
Facta iniuſta patent; nam noctis protinùs vmbras
Diſcutit, & clarâ reſplendent omnia luce.
Ac veluti inflatos quiſquam comploſerit vtres,
Sic ille in propriâ tumidus ſtatione peribit:
Namque Dei ſpreuit leges, & noluit eius
Pacta ſequi, gemituſque inopes, & triſtia verba
Pauperis, excelſas Iouæ deduxit ad aures.
Ille ſimul pacem dederit, quis territa turbet
Pectora, quis vultus rurſum condente ſerenos
Pandat opem miſeris, an non offenſus iniquo
Dat fatuos reges populo, rurſumque rebelli
Immites frænat populo turbante tyrannos?
Ergo Deum implora fortem, cui parcere cordi
Inſidet, inuitus ſeſe conuertit ad iras.
Quod video, ſcelus agnoſco, me criminate cta

Instrue, nam posthàc semper peccare recusem;
Ex animo hæc numquid profers? clemensque rependet
Ioua tibi, sed si porrò contendere pergas,
Elige, nam talem nequaquam elegero sortem;
Quin loqueris quæ fert animus? prudentia posco
Pectora, nùm stolidis violarit vocibus aures
Iobus, & indigno fœdarit crimine linguam?
Alme parens, priùs his Iobum ne desere pœnis,
Quam victas dedat palmas pro talibus ausis,
Ne scelus accumulet sceleri, ludibria iactet
In socios, ipsi indicat certamen Olympo.

CAP. XXXV.

Elihu, Iobum ad peccati agnitionem hortatus, ostendit neque iustitiam efficere, neque iniustitiam officere Deo, sed oportere, vt omnes afflictionibus edocti, se abijciant coram Deo, ac proinde Iobum ad agnitionem sui, & spem in Deum hortatur.

PRomit adhuc tales Elihu de pectore voces,
Siccine te vanæ tollit fiducia mentis,
Vt pietatè parem credas non esse Tonantem?
Quid mihi profuerit, dices, quòd talia passus
Supplicia, & tantas exoluo corpore pœnas?
At te nunc, Iobe, admoneo, socioque per orbem
Quos hic error habet, sinuosi tegmina Cœli

Aspice,

Aſpice ſuſpenſaſque altâ ſub fornice lymphas.
Si ſceleri indulges, nunquid nocitura Tonanti
Arma geris? contrà, ſi recto tramite vitam
Dirigis, an poteris quicquam prodeſſe Tonanti?
At tua te ſeruat pietas, vicinia tota
Sentit opem, ſceleris contrà contagio latè
Serpit in exitium, luctúque inuoluit acerbo.
At dices, gemit aſsiduo plebs multa tyranni
Fracta iugo, & largo ducit ſuſpiria luctu,
Nec tamen attingunt inopum cæleſtia curæ.
Haud equidem inficior, ſed non ea turba potentem
Ritè vocat Dominum, Deus O mihi conditor adſis,
Vt te nocte canam: nam ſunt mihi plurima laudis
Argumenta tuæ, pronas ſpectantia terras
Bruta, fugit ratio, nec auis quæ præpete penna
Ingreditur didicit prudentis dogmata vitæ.
Sed quonam vanas pacto vocéſque, precéſque
Audiat, auſcultetue tibi, qui cernere ſummum,
Nec contemplari, credis mortalia Iouam?
Iobe hanc expendas, ipſo te iudice, cauſam.
Expectéſque Deum; nam quod neglexeris illa,
Ignorans quàm munificus, clemenſq, bonuſq,
Quanta illi largo diſtillet gratia fonte,
Hinc plagæ, & tantas Iouæ fur or induit iras.
At tu dilatas ſceleratis ora querelis,
Nec facinus ceſſas verbis augere ſuperbis.

CAP. XXXVI.

Elihu proponit Iobo omnipotentiam, bonitatem, iustitiam, ac misericordiam Dei, ijsque confirmatis, ab exemplis recentibus ac priscis; & ab operibus Dei ordinarijs atque extraordinarijs, Iobum excitat, ad comparandam ignorationem, & infirmitatem suam cum infinita notitia, potentiaque Dei, & reuocat eum ad misericordiam gratuitam illius.

ACcipe quæ dicam, non longa silentia posco,
Nec mihi vox deerit, causam quæ iudicis æqui
Asserat, ipsa suos pandet prudentia fontes.
Non equidem omnipotens, fortis qui róbore dextræ
Prævalet, afflictos rebus despectat egenis:
Propitiumué videt scelerata factio turbæ;
Aut quoquam à iusto flectit sua lumina cætu:
Sed tandem extollit solijs, & Regibus æquat.
Quod si compedibus vincti, strictâque ligati
Pauperie fuerint, illis commissa repente
Indicat, & causas diuinæ nunciat iræ.
Hortatur retrò à vitijs vestigia flectant.
Si corde inducat, Iouæ parêre monenti,
Illum tarda dies numerantem gaudia vitæ
Imponet tumulo; sed si parêre recuset,
Non aciem ferri, aut mortem vitabit acerbam.

Nam

Nam fallax animi, & pœnis gens nescia flecti,
Thesauros iræ cumulat: primâque Iuuentâ
Occumbet, viles inter sua scorta cynædos.
At pater insontes, & opis miseratur egenos
Omnipotens, nec te, si certa in vota vocaris,
Despiciet, trepidique ereptum è faucibus Orci,
Luxificis lætum faciet discumbere mensis.
At tu iudicio es totus repletus iniquo,
Peruertisque æqui leges, quibus omnia fulcit.
Hinc iras spirat, te sæui verbere flagri
Auferet, & nullo seruabis munere vitam.
Quid tibi diuitiæ, quid fuluum proderit aurum?
Quid vires? nè mortem opta sub nocte silenti,
Innumeræ cuius clauduntur tegmine gentes,
Nec mentem addicas sceleri, quo te effera ducit
Paupertas, suadetque suis afflictio telis.
Ecce Deus, cunctis virtute et robore præstat.
Illi quis doctor similis, præscribere leges
Qui recti queat, & Iouam incusabit iniqui?
Sis memor, vt magni miracula plurima mundi
Facta Dei nostros circumfulgentia sensus,
Magnificis verbis, & multa laude celebres.
At Iouam immensum qui cuncta hæc condidit auctor
Vix nouisse datum est, æternæ tempora vitæ
Quis numeret, noritque dies, annosque perennes?
Ille simul calido euectos à sole vapores

Colligit in panſas tanquam tentoria nubes,
Et facit arenti diſcurrere nubila vento,
Aut lauat æthereo demerſos gurgite campos.
Franguntur nubes, multo terrore reſultant
Fulmina, collucent accenſâ lampade campi;
Mox piceâ nubes pontum caligine celat.
His modò terra luit pœnas, modò paſcua rura
Irriguis ſaturantur aquis, modò lumina ſoli
Obtegit, & currus Phœbæos inuidet Orbi.
Hoc intercedunt diuini tempore vates,
Placaturque Deus, ſolioque exaudit ab alto.

CAP. XXXVII.

Pergit Elihu, infinitam Dei potentiam prædicans, & inde deſumptis argumentis, & à Dei operibus, Iobi infirmitatem extenuat.

IPſe animi quoties rerum admiratio verſat,
Deſtituor, quatiorque imis terroribus artus.
Mugitu tonat horrendo, vis ignea flammæ
Emicat, ingenti miſcetur murmure Cœlum
Voce boans Domini, miſtâ cum grandine nimbus
Inſequitur, fugit omne genus pecudumque, hominumque,
Attonitique imis ſubeunt ſua tecta cauernis.
Turbine perflantur campi, ſata læta tepenti
Excipiunt lymphas gremio, ſtat marmore pigro
Vincta palus, Boreæ horrificis calcata pruinis.

Facta

Facta equidem miranda Dei, qui temperat orbes
Æthereos, totumque regit liberrimus axem.
Seu placidas vultu terras prospectat amæno,
Seu sæuam immittit meritis mortalibus iram:
Arrige nunc aures, & mundi arcana patentis
Discelubens; num te comitem sibi legit, Iobe,
Cùm statuit legem vacuo, cùm figeret arcum
Qui bibit innumeros aduerso sole colores?
Num caluit quondam tepefacto vestis ab austro,
Austro quo ponunt sedati turbine venti?
Adfuerasnè illi, celsi cùm tegmina Cœli
Explicuit, solido tanquam conflata metallo?
Nos equidem obruimur tenebris, tu si quid, Iobe,
Prouida mens alto secum sub pectore versat,
Pande mihi rerum causas, cur nubila Cœlo
Nunc solem impediunt, Boreæ nunc flabra minacis
Diffugiant, redeatque iterum lux aurea mundo:
Scilicet hæc rerum solus sibi vendicat auctor,
Iustitiâ, virtute potens, & robore multo
Conspicuus; quales non vlla afflictio vires
Vel sentit, vel ferre queat, penetralia mentis
Nouit, nec dubijs opus est inquirere rebus:
Nec sibi qui sapiunt, cordatique esse videntur,
Respicit, aut dignos prudentûm nomine censet.

Cap. XXXVIII.

Deus, Iobum increpans, ac velut in aciem prouocans, euincit de sapientia, potentia, & bonitate sua, argumentis creationis, & administrationis vniuersæ, atque singularis, in res creatas omnes, Cœlo, aëre, terra, mari & abysso: quamobrem, Iob interrogatus à Deo, cedit auctoritati eius, & se inferiorem causâ confitetur.

AT Pater omnipotens rapido de turbine Iobum
Appellans, capiant, inquit, certamina tandem
Vestra modum, & promptis contrà me accingite lumbis.
Quæ te habuit regio, solidæ fundamina terræ
Cùm iacerem, & primus mundi consurgeret axis?
Quis rexit rubricam oculis, Orbisque profundum
Mensus iter, statuit suspensæ pondera terræ
In medio, aërijs tantùm suffulta columnis?
Quis Cœli conuexa procul tentoria flammis
Imbuit, æternumque melos, laudesque parentis
Ætherij, angelicis docuit decurrere plectris?
Quis rabiem ponti, rudibus quum ferueret vndis
Continuit, mulcens animos? retinacla furenti
Quis dedit, & certas vetuit transcendere metas?
Anné vnquam roseum linquens aurora cubile
Est monitus experta vltò, vt lampade terras

Viseret;

Viseret, alternis iterum obseruanda tenebris?
Tempore quo impietas densis sese occulit umbris,
Brachia frangunturq; elati sæua tyranni.
Dic si mensus iter pelagi es, quo gurgite Nereus
Altior, ima petens lethæos misceat amnes?
Vidistinè domos Ditis, regna inuia luci?
Quàm longa est tellus, quàm largo in Tartara cliuo
Præcipitat, quanto circus se colligit orbe?
Sin te scire vias rerum, momentáque mundi
Nosse putas, paucis ne dedignare rogantem.
Quas habitant terras tenebræ, quo limine lumen
Exeat, vnde atrâ rediens nox palleat umbrâ?
Vtque hæc cognoris, numquid primordia vitæ
Cæperunt tum prima tuæ? num cana senectus
Ascribit tibi tot numeratis messibus annos?
Copia quanta niuis, quàm largo militat æther
Grandine quo sese tollunt è tramite venti,
Fulguraque, & duras motura tonitrua mentes?
Ecquis fœcundos, grauidis è nubibus imbres
Diuidit in terras, ne desolata querantur
Arua sitim, & lætis tellus arrideat herbis.
Quis pluuiam genuit, rorem, canamque pruinam,
Horrentemque gelu glaciem, quâ turbida aquæ vis
Sistitur, & pigro torpescunt marmore fluctus?
Quis super alta poli flammantia temperat astra?
Arcturum, pluuiasque hyadas, sydusque Orionis,

Virgiliasque suâ virtute, atque ordine pandit?
Num simul increpitet tua vox è nubibus altis,
Præcipitem dabit vnda gradum, num fulgura parent
Imperio subiecta tuo? quis tanta repente
Scire dedit, sophiamque animis accenderat auctor?
Quis nubes docuit sapphiri ritè colorem
Exprimere, & sudo volitantia vellera Cælo?
Vtque vtres alto suspensas æthere lymphas
Diffluere in terras, sparsus per compita puluis
Cogitur in glebas, fœcundaque recreat arua.

Cap. XXXIX.

Pergit Iehoua aduersus Iobum, Argumentis ductis ab administratione singulari animantium terrestrium & volatilium, ac ferarum: quo in genere duo singularia adducit exempla, Onagri & Rhinocerotis seu vnicornis, tandem interrogatus à Deo, cedit causæ, & Creatori Iehouæ.

Sed quorsum ætherij curas speculamur Olympi,
Fare mihi solùm, quo docta leæna magistro
Insidias struit, vt catulos soletur hiantes?
Vnde cibus manat coruis, cùm flebile pulli
Ingeminant, poscuntque suo clamore Tonantem?
Nostin' rupicapræ, & ceruæ quo tempore primùm
Concipiant, quotus absumat fastidia mensis?

Illæ

Illæ vi multâ partum nituntur in auras
Edere, qui pinguis detondens pabula campi
Luxuriat, missâque colit deserta parente.
Vincula quis soluit? qui sunt qui libera colla
Restituêre onagro? solus campestria iussi
Tecta colat, sterilesque agros, desertaque salsa;
Delicias urbis ridet, vocemque tyranni
Non metuit, montana illi sunt pascua, gramen
Sectatur viride, incultis per inhospita terris.
Rhinocerosne vlli domitus sub pondere aratri
Ingemet, aut rastro glebas perfringet inertes,
Sulcabitue viam Cereri, aut spem colliget anni
Plaustra ferens dorso, non hos robustus in vsus
Ornasti pauonem alis, qnibus ille superbit?
Aut tibi depictis decorata ciconia pennis?
Aut struthius pansis nequaquam inglorius alis?
Hæc fatua est volucris, medijs sua negligit aruis
Oua, nec incertus metuit, nè fortè viator
Conterat, aut vacuos depascens vngula campos:
Oua mihi curæ, calidoque fouentur ab æstu:
Dura illa est genitrix; sed rerum prouidus auctor
Noluit esse piam; voluit cùm surgeret alis
Temnere equum cursu, & volucres sessoris habenas.
Sed quis equo robur tribuit, qui binnitibus auras
Territat? accendunt rabidæ spiramina nares,
Insurgitque iubis, vastum quatit vngula campum,

Voce ciens Martem? non illum ſpicula terrent
Gnoſia, nec rutilis ardens mucronibus enſis,
Exardetque animis, & Martia concipit arma
Terribilis clangore tubæ; nùm fecit Iobus
Accipiter calidos vt curſu inuaderet auſtros,
Et rabidos aquilæ auderent contemnere ſoles?
Ille ſuper celſas deſerta cacumina rupes
Ardua tecta colit, notaſque cadaueris auras
Haurit, & intentis prædam ſpeculatur ocellis,
Iamdudum crudos aſſueſcens ſanguine natos.
Et Dominus Iobo, hæc illum feciſſe neceſſe eſt
Qui dubio mecum ſubeat certamine Martem.
At Iobus, nimium, fateor, temeraria nobis
Lingua fuit, tacitus poſthác tua iuſſa verebor.

CAP.

Cap. XL.

Deus, Iobum reprehendit, docens non ſatis eſſe vt deſiſtat à cauſa, niſi gloriam omnem ipſi tribuat: propterea in ſuperiore argumento pergens, iuſtitiam & omnipotentiam, ſibi duobus illuſtriſſimis exemplis vendicat.

AT Pater omnipotens vocem de turbine pandit,
Tune es quem ſtudium commendat amabile recti,
Nos vitio intenti pollutum degimus æuum?
Nùm tibi ſtant æquæ firmo ſub pectore vires,
Aut tali vox ore tonat? Sume ardua, quæſo,
Sceptra manu, auricomis plaudat tibi gloria pennis.
Vndiquè cingat honos ſolium, dent ſæua ſuperbi
Supplicia, afflictis iaceat gens impia terris.
Non ibo inficias, propriæ quin munere dextræ
Seruari, innocuamque queas producere vitam.
Ecce tibi Behemoth, noſtri pars vna laboris,
Tondeat vt fœnum campis, fortiſſima lumbis
Robora habet, virtus magna inſidet vmbillico.
Cauda inſtar cedri eſt, neruoſo tegmine teſtes
Occulit, aſſurgunt validis firmata medullis
Oſſa, velut ferri rigidis conflata caminis.
Excellens opus eſt Iouæ, nec ferrea deſunt
Arma illi, gladium pro boſcis, & arma miniſtrat.
Et tamen innocuis Elephas ſua pabula campis

Carpit, & alludunt lætas armenta per herbas.
Illa sub vmbroso producit tegmine somnos,
Et salicum quærit latebras, subsistere credas
Flumina cùm medijs ingens sese abluit vndis,
Quòd si fortè sitim sedet, non ebria, quamuis
Iordanem vacuum totis absorbeat vndis.
Ast illi validæ tendens venabula dextræ
Omnipotens, laqueis nares præfigit acutis.
Nùm Balæna tibi fallaci pendeat hamo
Ore trahens funem, maxillásque ære rigentes
Perfodies spinæ stimulo, monstrumq; domabis
Indocile, iratum verbis, vt leniat hostem?
An tibi perpetuâ tradet se lege ministram
Seruitij subitura iugum, vel passeris instar
Delitias faciet pueris, conuiuaque mensæ
Appositas libabit opes, cautusue redemptor
Diuidet in partes? non harpagonibus vti
Piscanti prodest, nec acuto fuscina dente.
Siste manum, durâ bellum nam sorte capessis:
Spes capiendi eius mendax, terrorque repentè
Deijciet, tantis quis non frustabitur ausis?

CAP. XLI.

Superiorum exemplorum vsus, siue accommodatio adpræsentem causam, argumentis ductis à potentia, à iustitia, & iure: & in superiore argumento

gumento progrediens, iustitiam & omnipotentiam sibi vendicat, duobus illustrissimis propositis & adductis exemplis.

ILla soporifero cùm dat sua membra cubili,
Quis leuet è somno, quis sese opponere nobis
Audeat, inuicta est cui magna potentia soli;
Omnia cui parent? Sed paucis ora resoluam.
Quum decus & firmis ornet compagibus artus,
Nàm vestis quisquam strictæ patefecerit oras,
Et docili fræno patulos constrinxit hiatus,
Nil veritus multâ sæuos formidine dentes?
At veluti iuncto irrumpunt vmbone phalanges,
Sic sese impediunt squamæ, clypeique teguntur
In morem, & tutos arcent à cuspide morsus.
Nec tenues vllo penetrant spiramine venti.
Naribus eructat sparsæ vaga lumina flammæ;
Purpurei radiant oculi, vulcania tædas
Ora vomunt, fumus flagrantibus æstuat auris.
Ardua colla iubis, quâcunque immania verrit
Æquora, crudelis latè comitatur egestas.
Stat solidâ compage caro, sub pectore cautes
Possidet, obductóque rigent præcordia ferro.
Illa, immane simul tumidis caput extulit vndis,
Diffugiunt omnes trepidi, quèis gloria laudem
Conciliat bello, nec enim subsistere contrà

Ferri acies, thoraxue potest ex ære rigenti.
Mucro instar paleæ est, glacies ceu futilis æra
Dissiliunt, fundæ ridet Balearis habenas.
Nec catus arcitenens, nec stridula terret arundo:
Lancea cùm multo vibratur robore ridet.
Feruescit velut olla undis bullantibus æquor,
Spumea quâ graditur canescit semita ponto;
Non illi vastis viget æqua potentia terris,
Terroriſque, metuſque expers, cui rector Olympi
Imperium tribuit supra genus omne ferarum.

CAP. XLII.

Iob, Maiestatem diuinam, & ignorantiam suam confessus, se docendum tradit Deo, & resipiscentiam suam protestatur: quâ probatâ, Deus alios reprehendit, reconciliationis viam ostendit, administro Iobo, & huic omnibus modis benedicit.

TVm Iob respondens conuerso pectore dixit;
Non equidem ignoro tandem, quin summa potestas
Sit, pater alme, tibi, motus quem corda latentes
Non fugiunt: fateor, cæcâ mea pectora nocte
Caligasse diu, fateorque ignota fuisse
Et neglecta mihi facta excellentia Iouæ.
Cælestes crebrò monitus his auribus hausi,
Audiuique lubens diuinæ oracula vocis:

At

At non ante datum manifesto in lumine Iouam
Perlustrasse oculis: nunc me & mea putida facta
Detestorque, odique, & abominor, vndique nobis
Luctus erit; testéq; mihi saccusq;, ciniſque,
Et fœdum multo consperſum puluere corpus.
Tunc sic Ioua Eliphæ; Calidâ mens æstuat irâ
In te Elipha, contráque duos ferueſcit amicos:
Non etenim puro vobis de pectore sermo
Proceſſit, qualiſque meo manauit Iobo.
Nunc grege de toto taurorum corpora septem,
Balantes totidem numero, mactare repentè
Profuerit, scelus hæc vobis holocauſta piabunt
Immenſum, ipſe meas Iobus proiectus ad aras
Vota ſimul, veniamque ferat: nec tetricus aures
Dilecti potero precibus diuertere ſerui.
Haud mora, feſtinant omnes, & iuſſa capeſſunt.
Nec duro clemens vultu reſpexit Iobum
Omnipotens, auxitque bonis, fortunaque riſit
Blandiùs, & dupla lætum cumulauit opum vi.
Quæ ſimulac rumor vicinis attulit aruis,
Accurrunt ſubitò fratres, & læta ſororum
Concio, nec paucis epulæ celebrantur amicis.
Munus quiſque ſuum, cultóque monilia collo
Attulit, & verbis animum ſolantur amicis.
Interea pleno diffuſa eſt copia cornu
A Ioua, duplicique accreuit gloria luxu.

Et iam bis ſeptem balantes millibus ibant,
Nec iuga mille boum deerant; ſex mille cameli,
Mille aſinæ errabant campis, ſeptemque beatæ
Fulcra domus genuit natos, ternáſque propagat
Fæmineæ ſortis; quarum quæ maxima natu,
Iemima nomen habet; quæ proxima, kezia dicta eſt;
Clara kerenhappuch, poſtremo eſt edita nixu:
Præſtanti nymphæ formâ, nec talia vidit
Corpora, quâ latum radijs ſol temperat Orbem.
Illas iure pater voluit cum fratribus æquo
Sortiri, quæcunq; ſibi poſt fata manerent.
Ipſe qué poſt cladem centum ſuperaddidit annos,
Et bis Vicenos: tandem matura ſenectus
Exaturata annis, ſeriem mirata nepotum,
Lumina compoſuit, tumulóque excepit auito.

FINIS.

THRENORVM SIVE LAMENTATIONVM IEREMÍÆ PROPHETÆ

F. ELCIÆ

Libellus, Latino Carmine redditus,

A PATRICIO ADAMSONO, *Scoto, Sanctiandreæ Archiepiscopo. Et nunc denuò per* THOMAM VOLVSENVM I. C. *recognitus & expolitus.*

LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM.
Anno 1618.

MAGNI
IVLII CAESARIS SCALIGERI
Hieremias.

CVm flerem Solymæ mortalia fata caducæ;
Ad flendum, certâ ſede, fuere loca.
Aſt vbi nunc ſedeam? nonne hæc ſunt funera noſtra?
Extremumue dies vltimus ante diem?
Quomodo lecta patri, meretrix euadere, virgo?
Et non ſollicitant perdita monſtra Deum?
Quis tibi carnifici fœdiſsima vulnera dextrâ?
Hoſtis? an infanti tetrior hoſpes atro?
Ne repete, Oceani genitor, diffundere fluctus:
Vltricis flammæ hos altera regna manent.

Tristia sic vates tecinit sua tempora, nostri
Temporis vt cernas præcinuisse mala.
Nec mirum, vigeant scelerum quum monstra per orbem,
Peccatis, pœnas esse pares, paribus.
Certa sed & nobis præbet solatia Vates,
Præsentem extremis rebus adesse Deum.
Ergò non Solymis frustrà hæc monumenta supersunt,
Quæ nos erudiant, ac mala nostra leuent.
Rebus in aduersis digna illa, & digna secundis,
Quæ nocturna manus, quæque diurna terat.

Aliud.

Non hîc excidium Troiæ, AEneæue labores,
Aut canitur fictæ Pallados ira Deæ.
Non Venus, aut Iuno, vel nomina ficta Deorum:
Ponitur hîc stulti fabula nulla ioci.
Hîc Solymæ excidium canitur, quæ funditus olim
In cineres, dextrâ vindice versa Dei est.
Hîc disces, Domini quàm spretæ iniuria legis,
Atque nefas alta mente reposta manent.
Quò præstant igitur, Patrici, sacra prophanis,
Hos cedit musæ, musa prophana, tuæ.

AD

AD AVGVSTISSIMVM
ET INVICTISSIMVM PRINCIPEM,
IACOBVM SEXTVM
SCOTORVM REGEM.

QVærenti mihi (Rex Auguſtiſsime) in his domeſtici noſtri mali calamitatibus, ex alieni comparatione leuamentum, commodum ſe obtulit in ſacris libris, excidij Hieroſolymitani, quod ſub Ioacimi, & Sedecię temporibus, poſt Ioſiæ mortem accidit, Hiſtoria ab Ieremia deſcripta, & flebili carmine, libro ſingulari deplorata: quam, dum crebra Lectione & meditatione, altiùs in animum infigo, multa in ea haut abſimilia noſtris temporibus reperio, pleraque grauiora multó & calamitoſiora. Quare hos πρώτους aliqua mea induſtria illuſtratos, Sacræ tuæ Maieſtatis nomine apparere volui, vt & veſtram Maieſtatem, & omnes bonos, qui Regnum hóc, & cum regno religionem ſaluam cupiunt, externi mali exemplo, ad proprium propulſandum cautiores & incitatiores redderem: mihi interim priuatum aliquod ſolatium compararem. Vale Rex Illuſtriſsime. Fano Andreæ Cal. Ian. Anno Sal. cIↃ Ic. Lxxxx.

Maieſtatis veſtræ

Seruus, & Orator addictiſſimus

Pa. Adamſonus.

AD REGIAM MAIESTATEM,

In Threnos Ieremiæ carmine redditos
Iani Calendis, 1590.

ACcipe Iirmiæ, PRINCEPS, *lamenta Prophetæ,*
Fatidico vates quæ pius ore canit.
Accipe, quas patriæ iachrymas, vrbiq; parẽtat,
Flebile diuini carmen oloris habe.
Cùm Solymen cecidisse vides, mortalia nulla
Crede diu stabili posse manere loco.
Cùm perijt Solyme, scelerati rudera mundi,
Mirum est peccati mole perire sui?
Altera sed Solyme est, quæ Christi Ecclesia fertur,
Sæua procelloso quam quatit vnda mari.
Quam contra insidijs, sinuosus dimicat anguis,
Regnaque Tartareo commouet ima lacu.
Illam inuicta fides, clypei munimine sacri
Protegit, & Galeam crista salutis amat.
Thorax iustitiæ est, veri sunt cingula lumbis,
Verbi acies sacri, bellicus ensis adest:
Gestantur pedibus lætæ sandalia pacis,
Quæ crucis in ligno cuderat arma Deus.
His Satanæ furias, his iras despicit Orci,
His semper victrix, in sua castra redit.
Hanc Regem nutrire æquum est, dextrâque tueri,
Propitium regno qui cupit esse Deum.

Huc

Huc contende Heros, ſolida hæc & gloria ſola eſt;
Quæ dederat, Chriſto ſubdere ſceptra duci.
Eſt etiam Solyme ſublimibus alta columnis,
Quà via ſtelliferum lactea ſulcat iter.
Hanc tibi ne optarem, vetuit fauſto omine Ianus,
Tempora qui retrò, quique futura videt.
Dum famâ impleris terras, virtutibus aſtra,
Iunctaque ſint ſceptris vtraque regna tuis.
Dum fælix ſoboles numeroſâ geſtiat aulâ,
Et ſpes perpetui longa nepotis erit.
Dum numeres multos generoſo Marte triumphos,
Neſtoryque æques tempora longa ſenis.
Dum Solyme vindex quæ terræ militat oris,
Cæleſtis Solyme ciuis adeſſe velis.
Sic bifrons, Phœbique nouæ fulſêre Calendæ,
Et flammâ exarſit candidiore dies.

Maieſtatis Tuæ

Obſeruantiſ. & humillimus Orator

Pa. Adamſonus.

LECTO-

LECTORI PIO.

THrenos hoſce Ieremiæ, metro conſtrictos, ante annos viginti octo Author conſcripſit, & Auguſtiſſimo noſtro Regi ſacrauit: In quibus conſtringendis adeò religioſè verſatus eſt, vt ad Hebraicæ veritatis fontem genuinum & orthodoxum contextus ſenſum cuncta reuocauerit, ab eoque vel pilum deficere, nefas duxerit. Quare non eſt quod mirere (pie Lector) ſicubi authoris ſtilum numeroſum & Poëticum vndiquaque non redoleant, vtpote qui huic prorſus palo aſtrictus foret, quod ſecus, numeroſius multò reddere potuiſſet. Adieci etiam, ne quid ad Lectoris captum deeſſet, libri & ſingulorum capitum argumenta, vnâ cum Epigraphe, rei cuiuſuis paginæ, ſubiectæ frontiſpicio adſcripta. Vale, pie Lector, & hiſce, vt & alijs mecum vtere, & boni conſule. Regia Regni noſtri Edinoduno pridie Cal. Auguſti. 1617.

THRENORVM SIVE LAMENTATIONVM IEREMIÆ PROPHETÆ

F. ELCIAE

Libellus Latino Carmine redditus.

ARGVMENTVM.

Liber Lamentationum, querimonias lugubres continet de miserabili Iudæorum statu, inde à morte Ioschiæ Regis, quo tanquam calamitatum omnium primordio, Iirmeia adductus est ad deflendum præsentes & instantes Ecclesiæ Regnique totius miserias. Quapropter ipse tum suo, tum piorum omnium nomine conqueritur de malis grauissimis acceptis, peccata publica, priuatáque confitetur: omnes ad resipiscentiam, fidem & orationem reuocat; Iram Dei deprecatur, gratiam petit, & misericordiam implorat ex fœdere.

CAP. I.

Ecclesia, extincto Ioschija, & regno Iudææ per AEgyptios diuexato, de calamitatibus suis conqueritur, quas peccatis suis acceptas ferens, Deum orat pro remissione peccatorum & salute sua : Deinde, sermone ad Gentes conuerso, ostendit omnia à Deo profecta esse, ipsarum fuisse vt afflicti populi misererentur, Deumque orat, pro earum excidio ad gloriam ipsius.

Vomodò sola sedet, tot nuper ciuibus orba
Vrbs, inter cunctas quæ populosa fuit?
Vt quæ triste gemit defũcto coniuge coniunx,
Et vidui deflet tempora mæsta thori.
Quomodò, quæ gentes supra caput extulit omnes,
Victa, tributorum fert patienter onus.
Nec luctum minuunt cæcâ sub nocte tenebræ,
Et grauido madidas depluit imbre genas.
Nec quisquam ex priscis miseram solatur amicis,
Belldque crudeli sæuius hoste gerunt.
Quomodò sic patriis migrat de finibus exul
Iuda, sui fugiens limina chara soli?
Nec spes est inter gentes iucunda quietis,
Augustúmque atrox obsidet hostis iter.

Quo-

Quomodò mœsta Sion, deserto tramite luget,
Et populus regni sabbata rara colit?
Et desolatæ deflent sine iudice portæ,
Et vacua à mystis atria sola gemunt?
Squalida virginitas, tundit sua pectora palmis,
Nec sibi amara vnquam desinit esse Sion.
Nam rerum potitur, misereſcere nescius hostis,
Lætàque tranquillâ gaudia pace colit:
Scilicet ardescens offensi numinis ira,
Artifici scelerum tristia fata tulit.
Hinc captiua phalanx, iuuenilibus exulat annis;
Eximium amisit nata Sione decus.
Territa nobilitas nullo discrimine belli
Venit in hostiles deditione manus.
Vtque volant trepidi campis per pascua cerui,
Sic illi, cerui more fugacis eunt.
O Solyme, deflens inimicæ vulnera dextræ,
Num subeunt animum gaudia prisca tuum?
Cùm populi turmas hostilis demetat ensis,
Et toruo festos rideat ore dies.
Peccauit Solyme, impuris ceu mensibus vxor
Abstinet à casti fœdere sola tori;
Nuda sinus, latas ostentat fimbria sordes
Vilis, amatori despicienda suo.
Ingeminat luctum, tristemque auersa dolorem,
Mercedem hanc sceleris vix memor esse sui.

Nec cùm corruerit, mirando perdita casu,
Solamen miseræ qui ferat vllus adest.
Adsis ô mihi, Ioua, fauens nam turgida cristas
Tollit, & hostilis colla superba furor.
Prædantur gentes prætiosa, & sancta prophanant
Atria, barbarico non adeunda choro:
Assiduo populus pascit ieiunia fletu,
Nec modicam pellit res prætiosa famem.
Alme parens, miseram clementi respice vultu,
Nec vilis serui despice vota Deus.
Huc aduerte animum, transis quicunque viator,
Esse pari quicquam posse dolore putas?
Ioua furens, in me feruenti exæstuat irâ,
Ossáque deiecto cælitus igne coquit.
Intendit pedibus, cæcâ, venabula, fraude,
Né possim tortos arte cauere dolos.
Transuersum meretrò agitat, terræque supinum
Alligat, & totos langueo sola dies.
Vtq; gemunt fortes torto sub vimine tauri,
Sic, iuga me scelerum crimine texta premunt.
Nec superant vires, nec fracta in corpore virtus,
Nec disiecta iterum tollere membra licet.
Conculcat pedibus, præstantem robore pubem,
Et cecidit validâ, fracta iuuenta manu.
Atque vt torcular, maturas exprimit vuas,
Sic virgo, Iudæ filia trita fuit.

Hinc

Hinc mihi perpetuis decurrunt lumina riuis,
Et madidi ex oculis fluminaroris eunt.
Nec spes affulget reduiuæ parua salutis,
Pignoráque hostiles diripuere manus.
Mæsta Sion tendit pansas ad sidera palmas,
Suppetias nusquam, qui ferat, vllus adest.
Finitimos omnes, sunt hæc præcepta Tonantis,
Iussit Iacobo bella ciére suo.
Immunda est Solyme, & iustus sine crimine vindex;
In mea crudeli crimina Marte furit.
Huc oculos populi, & nostras aduertite clades,
Quas capti iuuenes, quas mea virgo luit.
Cùm posco auxilium, spes me frustratur amantûm,
Enecuit mysten cum seniore fames.
Me conclamatis tandem Ioua aspice, rebus,
Cor mihi ceu medio fluctuat vnda mari.
Et tanquam Pelagi, tumidis vexata procellis,
Viscera sunt crasso turbida nostra luto.
Deflexi, fateor, nec parsit pœna rebelli,
Ense foris pereo, mors mihi certa domi est.
Nec cum lugubri resonant mea pectora planctu,
Quisquam est qui molli leniat ore malum.
Interea, festis celebrant Pæana choreis,
Letáque sit plagis gens inimica meis.
Quin Deus à sanctis olim prædicta prophetis,
Vertis in hostiles tristia tela greges?

Conſpectum ſubeant inimicæ crimina gentis,
Parq; pari crimen conditione luant.
Me ſcelus afflixit, pauido cor pectore languet,
Soluit & in luctus ſqualida membra dolor.

Cap. II.

Propheta, lamentum facit de euerſo populo, regno, cultu Dei, & regione tota: grauitatem malorum, & indignitatem amplificat: Iudæoſque inſtituit quomodo ſint imploraturi Dei miſericordiam.

Quomodo nata Sion, piceâ caligine tecta eſt,
Sublimiſque ruit de ſtatione poli?
Nec memor eſt ſcamni, (ſic feruens æſtuat irâ,)
Quod pedibus ſuberat, motus Ioua, ſuis.
Quomodò munitas, Iudæ fundo eruit arces,
Ne reliquas habitet gens Iacobæa domos?
Abiecit regnumque ſimul, procereſque potentes,
Et cum principibus, ſceptra prophana ſuis?
Quomodò diuino peryit ſic impete robur,
Viſque Iſraëlis tota repentè ruit?
Et retrahit dextram, dextram ne conſerat hoſti,
Flamma Iacobæas vndique paſcit opes:
Quomodo more hoſtis, tenſóque minaciter arcu,

Dir-

Dirigitur celeri certa ſagitta manu?
Electos perimit populi, lethalis arundo,
Ignis edax, vaſtæ tecta Sionis habet.
Quomodò ſic vultus hoſtiles vertit in iras,
Nec firmas arces, nec loca culta finit?
Et multo Iudæ confecta eſt filia luctu,
Triſtia perpetuo lumina rore lauat.
vtque hortus, rupto firmæ munimine ſepis,
Contra ſylueſtres non habet arma feras.
Conuentus ſpernit, vileſcunt Sabbata, Regem
Deſpicit, Antiſtes ſentit abeſſe Deum.
Quomodò reiecit ſacris altaria flammis,
Reſpnit & templi tecta verenda ſui?
Ac vrbis muros, & celſas occupat arces,
In Iouæ & reſonat gens inimica domo?
Quomodò diſruptis admota eſt linea murís,
Ac æquata ſolo mœnia celſa ruunt?
Langueſcunt firmæ circum pomœria turres,
Nec retrahit dextræ vulnera Ioua ſuæ.
Quomodò conuulſis, miſerandum, vectibus alto
Sublimes portæ, ſic cecidere loco?
Vates, Rex, Princeps, peregrinis gentibus errant,
Hi ſine lege, illum viſio nulla monet.
Quomodò cana cohors ſeniorum ætate verendâ,
Et cinere, & ſacco corpora ſtrata ſilent?
Dimiſſo graditur Solyme tua lumine virgo,

Nec

Nec lachrymas oculi ſuppeditare queunt.
Viſcera ſunt lutulenta, & putri turbida cæno,
Ex iecore immenſi ſanguinis vnda fluit.
Me triſtes populi caſus, nil conſcius infans,
Et media lactens obrutus vrbe mouent.
Appellant pueri dulces cognomine matres,
Sed nulla eſt vini copia, nulla cibi.
Mors triuijs regnat genitrix miſerabilis artus
Excipit, & gremio tabida membra fouet.
Quos teſtes tibi, nata Sion, quæ exempla requiram,
Vt te conſoler, par tibi qualis erit?
Non pelagus tumido Boreas cum turbine perflat,
Tanta procelloſis verbera ſentit aquis?
Quis medicam præſtabit opem cum futile vates
Somniet, & vano te grauet ore nimis?
Nec reducem, vt par eſt, peregrinis euocat oris,
Sed noua captiuæ ſemina gentis alit.
Complodit manibus, læuo caput omine quaſſat,
Sibilat hoc gradiens quiſque viator iter.
Hæccine ait cunctas inter præcelluit vrbes,
Cauſáque lætitiæ gentibus vna fuit?
Effundunt hoſtes torua conuitia rictu,
Dentibus infrendit turba prophana ſuis.
Hæc optata dies, albo ſignanda lapillo,
Hæc aiunt noſtri meta laboris erit.
Ioua olim priſcis à ſe decreta diebus,

Con-

Consilij præstat firma statuta sui.
Quod te destruxit, quòd cornu erexerit hosti,
Eius solius dextera sola fuit:
Interea tumido turgent præcordia fastu,
Clamat & in Iouam gens inimica nefas.
Nata Sion, fac vt muris noua flumina currant,
Et riui ex oculis nocte, diéque fluant.
Nox precibus sit parua tuis, confinia lucis
Testentur vigiles in pia vota manus.
Nec te cor pudeat, liquidæ vt libamina lymphæ
Fudisse in Iouæ pectora nuda sinum.
Respice, Ioua, meos clemens mea pignora natos,
Tabida quos mediâ conficit vrbe fames.
Respice palmares pueros, quos languida mater
Cogitur ingratis mandere delitys.
Siccine qui sacris operantur mystica templis,
Et cadet ante aras ipse Propheta tuas?
Nec virgo, paruusque puer, iuuenesque, senesque,
Euadunt ensis vulnera cruda tui.
Concilium vocitas, passim terrorque, metusque,
Aduolat, & cogens agmina multa pauor?
Nec quisquam est reliquus qui tantâ è clade superstit,
Barbarico lactens concidit ense puer.

Cap. III.

Eccleſia Iudæorum, de malis grauiſſimis à Deo immiſſis expoſtulat: certamina ſua ſpiritualia exponens, declarat ſe fide in Deum ex rebus præſentibus, antecedentibus exemplis, naturâ & promiſſis Dei in ſpe ſalutis viuere: ac poſtremò confitens peccata ſua, & pœnas præſentes amplificans, Deum ſupplicat pro ſalute ſua & aduerſariorum exitio.

Ille ego ſum, tanto qui ſic diſcrimine vexor,
Edidit in quem iræ tot documenta ſuæ.
Inuoluit tenebris, cæcâ caligine merſit,
Nec lux eſt oculis vlla relicta meis.
Inſtar me aduerſum crudi ſe comparat hoſtis,
Ingeminans iræ fulmina ſæua ſuæ.
Oſſa quatit, frangit q; imis concuſſa medullis,
Trita caro eſt, marcens & ſine carne cutis.
Extruxit vallum, foſſâque ac aggere cinxit,
Obſidet & caſtris dira cicuta ſuis.
Vtque colunt tenebras, vitâque & lumine caſsi;
Sic me mortiferâ nox tegit atra domo.
Vndique me ſepſit, ne ſpes mihi reſtet eundi,
In laqueoſque chalybs ingenioſus erat.

In-

Inclamo numen, leuibus ſed vota procellis
Credimus, & ſurda negligit aure preces.
Inuia facta via eſt, cæſi munimine ſaxi,
Per ſalebroſa meum, deuia flectit iter.
Inſidias vrſique inſtar, crudique leonis
Comparat, vt lacerum vexat ouile fera.
Contra me tenſo torquet ſua ſpicula cornu,
Lethalis renes tranſit arundo meos.
Me rident gentemque meam, me paſcit amaror,
Illita lethifero pocula felle bibo.
Deprimit in cineres, fractos in rudera dentes
Euomo, pax animæ nulla relicta meæ eſt.
Penè omnis Lethæa boni me obliuio cepit,
Et dixi, robur, ſpes mea tota perit.
Cùm plagas recolo, planctus, abſynthia, mentem
Lurida cùm ſubeunt toxica pota meam.
At poſtquam hæc alto rurſum ſub pectore verſo,
Spes rurſum nobis pectora mæſta fouet.
Summa Dei eſt bonitas, ſumma eſt clementia Iouæ,
Quod ſupereſt, noſtri gratia ſola fuit.
Certa fides dictis, factis conſtantia ſumma eſt,
Solus vt Eoo qui vehit axe diem.
In te Ioua mihi, fiducia tota recumbit,
Eſque animæ tu ſors illa beata meæ.
Ioua bonus, ſi quis ſpe non confidat inani,
Aque ſalutifera pendeat eius ope.

Fælix ô nimium teneris qui assueuerit annis,
Sub ferula Domini sustinuisse iugum!
Fælix qui tacitus, læuo sine murmure perfert,
Ora gerens tristi puluerulenta situ.
Fælix qui fædæ patitur conuicia linguæ,
Et plagis læto porrigit ore gẽnas.
Scilicet expectant Dominum, qui tempora signans,
Auxilio nunquam desinit esse suis.
Mœstitiâ affecit, sed qui modo vulnera fecit,
Ille idem medicam mox tibi reddet opem.
Inuitus fateor, tales se accinxit in iras,
Nec propria quenquam sponte perire cupit.
Quod calcant inopes, crudi iuga sæua tyranni,
Iuraque peruertunt infidiosa pijs.
Quod nulli est æqui ratio, flectitque tribunal
Gratia, vel munus; num probat ista Deus?
Vnde hæc sunt dices, si Ioua haud fecerit auctor?
Num bona, nonne eius prodit ab ore malum?
Cur contra Iouam, dictis insurgit iniquis,
Qui pro peccatis vix leue sentit onus?
Quin nosmet potius trutinæ moderamine rectæ
Pendimus, & verso fundimus ore preces.
Alme Deus, qui templa colis procul ardua Olympi,
Respice nunc pansas in pia vota manus.
Nos eheu curuos sequimur per deuia gressus,
Externæ procul hinc orbita legis abest.

De-

Defectrix gens noſtra fuit, populuſque rebellis,
Non impunè tamen res ſcelerata tulit.
Perſequeris nos more hoſtis, atque obtegis irâ,
Nec finem cladis bellicus enſis habet.
Te Ioua interea, nube & caligine velas,
Ne noſtræ penetrent in tua vela preces.
Nos viles animas, fædæ vt purgamina terræ,
In medio iſtius gentis ineſſe finis.
Dilatant patulis contra nos rictibus ora,
Nec mors, nec clades, nec pauor vllus abeſt.
Hinc lachrymæ largis humectant lumina riuis,
Maxima de paruis fontibus vnda fluit.
Nec prius arreſcent flentes in flumina venæ,
Vulnera quàm clemens viderit iſta Deus.
Afficiunt oculi turbatam in pectora mentem,
Nata Sion, cauſa pectora mœſta tui.
Immeritò me contra, hoſtis venabula tendit,
Vt ſolet immites, qui capit arte feras.
En iaciunt lapides, & ſaxa minantia torquent,
In foueam ſubitò mors truculenta rapit.
Supra me exundant multis vaga flumina riuis,
Vt me nil aliud quàm periſſe putem?
Inclamo numen lacco me Ioua profundo
Audyt, atque omnem iuſſit abeſſe metum.
Ioua mihi patronus erit, quo vindice fretus,
Vita mihi in medys eſt mea tuta malis.

Cerne Deus, iudex q̃, æquo moderamine libra,
Quæ mala pertulerim, quanta ferenda mihi.
Non te quæ tacito ſecum ſub pectore muſſat,
Nec fugit illa oculos vltio ſæua tuos.
Probra audis, noſtique animi ſecreta latentis,
Cognita quæ dicunt, quæ meditantur habes.
Seu ſurgunt, placidoue locant ſua membra cubili,
De me perpetuò quod modulentur habent.
Redde vices, meritáſque luat gens impia pœnas,
Et referant factis præmia digna ſuis.
Tu defende pios, & forti protege dextrâ,
His animi inuigilet cura benigna tui.
Aſt illos diræ, & crudelis vexet Erynnis,
Atque ardens furijs torua Megæra ſuis.
Quantum irâque, odióque potes, tot concipe flammas,
Ne rideant cæli tegmina celſa tui.

CAP.

CAP. IIII.

Propheta, Ecclesiæ & populi mala deplorans, causam eorum narrat, positam esse in iudicio Dei, qui contra Iudæos propter peccata, ipsorum vanitatem, obstirmationemque exarserit: postremò aduersarijs exitium, pijs liberationem suo tempore venturam prænuntiat.

QVomodò sordescit rutilis fulgoribus aurum,
Et templi lapides compita cuncta terunt.
Nata Sion quondam obrisо pretiosior auro,
Facta est vt vilis terrea testa luti.
Ecce, phocæ lactant catulos atque vbere pascunt,
Nata Sion, duræ cor Struthionis habet.
Quomodò adhæresсit lactentis lingua palato,
Nec datur infanti quâ leuet, esca, famem.
Quomodò delicijsque fluens, vestitaque cocco
Gens inter cineres stertore fæda iacet.
Nec subito Sodome flagrans à sulfure pœnas,
Quàm longo Solyme fracta furore dedit.
Non lac candidius, nec nix est pulchrior alba,
Formosus quondam quàm Nasaræus erat.
Non sic effulget rubeo carbunculus igne,

Pul-

Pulchraque Sapphiros vincere forma potest.
Quomodo nunc nigra vultus fuligine pallet,
In vicis faciem lurida membra negant.
Vtque arens lignum, sic imis ossa medullis,
Carne carens tenuis vix tegit ossa cutis.
Quomodò, quos rabies consumit tabida edendi,
Hostili cupiunt oppetijsse manu?
Et satius ducunt effusam in vulnera vitam,
Quàm victum sterilis prata negare soli.
Quomodo maternos genitrix oblita fauores,
Sic sua funestâ pignora clade vorat?
Ioua furens, laxas irarum effudit habenas,
Nata Sion, auido funditus igne perit.
Quis regum Solymam, quis totius incola terræ,
Vastatam hostili crederet esse manu?
Sic vates peccata luunt, delicta sacerdos,
Et gens innocuo sanguine tincta manus.
Cum cæci plateis errant, aspergine vestis
Sanguinis, & fluido tincta cruore madet.
Hinc tamen impuri clamant procul este profani,
Ne tangas tetro fœda cruore, caue.
Interea celeres sparsis in gentibus errant,
Exilij dicunt parua futura mora est.
Quos facies Iouæ peregrinis expulit oris,
Quos vultu non est intuitura suo.
Cùm neque trux senibus, nec mystis parserit hostis,

Mo-

Momento Solymem posse redire putas.
Interea auxilij nos spe lactamur inani,
AEgypti frustrà cùm speculamur opem.
Impediunt quâcunque imus, venabula, gressus;
Mœsta dies, summus iam mihi finis adest.
Pernices superant aquilas, hostesque sequuntur,
Aërios montes, seu loca sola petant.
Spes quæ sola fuit, quâ vitæ traximus auram,
Quæque inter gentes lætior vmbra foret.
Iouæ vnctus, sacrâq; caput perfusus oliuâ,
Nunc etiam hostiles incidit in foueas.
Gaude Hutzi tellus, plaudens lateris Idume,
Pocula letifero mutua felle bibes.
Ebria eris, discincta sinus, nudataque corpus,
Vix mentis compos terra futura tuæ.
Cùm tua, Ioua, Sion, tandem delicta piarit,
Tunc postliminij ius habitura tui es.
At te cum patrijs Edom reiecerit oris,
Nulla dies longi meta doloris erit.

Cap. V.

Eccleſia Iudæorum, de malis ſuis cum Deo expoſtulans, confitetur peccata ſua: de illis, de ſupplicijs, & ſua euerſione gemit: iram Dei deprecatur, & implorat miſericordiam.

IOua memor noſtri, triſtes aduerte querelas,
Quæque ferunt hoſtes probra pudenda vide.
Ecce peregrinus noſtras nouus aduena ſedes
Occupat, & culti iugera lata ſoli.
Pupilli ſumus, & ſoboles orbata parente,
Et viduæ mater tædia ſortis habet.
Ne gratis fruimur currentis munere Lymphæ,
Inque focum gratis cædere ligna nefas.
Incumbit collo qui nobis infidet hoſtis,
Et veluti indomiti terga fatigat equi.
Cùm panem ſupplex poſco, nos accola Nili
Negligit, Aſſyrius nil mea vota facit.
In tua peccarunt noſtri mandata parentes,
Nos iræ luimus fulmina ſæua tuæ,
Imperium patimur crudi ſeruile tyranni,
Sed quis ſeruili liberet imperio?
Pauxillum victus multo diſcrimine vitæ
Quærimus, & ſterilis non caret enſe locus.

Atra

Atra cutis calido ceu furui obduruit antro,
Præstaret dicas enecuisse fame.
Vim patitur virgo, nec fœdis abstinet ausis,
Inuita impurum fœmina passa nefas.
Suspendunt teretis, proceres, ex arbore trunci,
Canities illos nil reuerenda mouet.
Deduntur iuuenesque molæ, pistrinaque versant,
Succumbunt pueri, sic graue vexat onus.
In portis leges que silent, cessatque senatus,
Lugubri Iuuenes Carmina voce fremunt.
Nec ludunt choreis, nec ducunt ordine saltus,
Heu capiti cecidit læta corona meo.
Væ peccasse mihi, scelere irritasse Tonantem;
Hinc oculis tenebræ languida corda pauent.
O mihi chara Sion, non parui es causa doloris,
Cùm vulpes habitent per sacra templa feræ.
Tu Ioua alterni vicibus non subderis æui,
Qui fueras; idem tu quoque semper eris.
Tu Iudex æquis Orbem moderaris habenis,
Fixaque sunt solij, iuraque, fasque tui.
Redde iterum me, Ioua, tibi, vt mea pectora vertam;
Et renoua nostros ceu fuit ante Dies.
Num nos omnino spernes, sic concitus æstues,
Æternum vt nullo sæuiat ira modo?

FINIS

APOCALYPSIS
S. IOANNIS THEOLOGI,
Latino Carmine reddita.

PATRICIO ADAMSONO, Scoto,
Sanctiandreæ Archiepiscopo
Authore.

LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM.
Anno 1618.

AD AVGVSTISSIMVM
ET INVICTISSIMVM PRINCIPEM,
IACOBVM SEXTVM
SCOTORVM REGEM,

CVm post tuum in Noruegiam discessum (Sereniſſime Rex) eò fundi noſtri Scotici calamitas ſerperet, vt ſcelerati iſti & nefarij homines, Eccleſiæ & pacis publicæ conturbatores, id vnum ſedulò agebant, cùm ſua factioſorum turba, vt Regno & Reipub. faces accenderent, & in medijs hiſce turbinibus, ne ego ſaluus eſſem; qui ad Regni miſerias ab illis iniectas ingemiſcerem, è re duxi, mecum intereà habitare, & cum amicis viuere, vt ad meliora tempora, Eccleſiæ & Reipub. ſaluus forem. Interim, ne hac rerum perturbatione nihil

agerem, reuoluere cæpi Apocalypſin, ſuperiore anno à Ma.te tua, paraphraſi illuſtratam, & ad me delatam, accuratâ ſane & eleganti; cuius perlectio, animum mihi addidit, vt in tam præclarum opus aliquid auderem; Itaque primùm conſtrinxi carmine; In quo ſum ita religioſè verſatus, vt cùm ſcribat Hieronymus, tot in libro myſteria quot verba eſſe; penè verba ipſa expreſſerim: Adieci etiam ipsum; Nam cum iubeat ſeruator, Nos ſcrutari ſcripturas, Cur non induſtriæ noſtræ fructus, ſcrutationem potius ſacram appellemus, quàm commentaria, arroganti & prophano nomine? Pſillum etiam in hoc eodem otio conſcripſi; Nam cum plerique miniſtri, Meluino authore, hoc eſt, ſeditioſorum anteſignano, me damnaſſent hæreſeos, quòd legitimam & orthodoxam Epiſcoporum authoritatem, aduerſus eorum ineptias tuear, & ſuum in Eccleſia locum Principibus tribuam; Pſillum conſcripſi, in quo, quæ factionis iſtius venena ſparſerunt, Pſilli inſtar exugenda curo, Vicinamque Angliam admoneo, vt ſibi ab ijs ſcopulis caueant, ad quos rationes noſtræ impegerunt. Viuimus enim hîc in ea rerum confuſione, qualem ne accerimus quidem hoſtis

no-

nobis optaret: Non diffido tamen, quin Maiestas tua, rebus omnibus bene pensatis, & officijs meis erga Maiestatem tuam ritè examinatis, honorificam sit mei, meorumque rationem habitura. Bene vale, cum Sereniſſima ac lectiſſima Coniuge tua, Deusque multa vos reddat prole beatos. Sanctiandreæ Cal. Maijs 1590.

Maiestatis tuæ humillimus & obseruantiſſimus Orator

Pa. Adamſonus.

Prologus in Apocalypſin.

IBER hic Apocalypſeos, dictante & reuelante Sancto ſpiritu (ex veterum doctiſſimorum indubitata ſententia) à magno Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta, (qui & idem Theologus cognomento dictus eſt, ὁ ἐξοχὴν à veteribus ſic appellatus, quòd de Chriſti diuinitate nemo vnquam hominum apertius aut diuinius ſcripſerit, quo cognomento nihil dici poteſt auguſtius) idque in Pathmo inſula (vt ipſe profitetur) quâ, exilio relegatum, veteres ſummo conſenſu tradunt, mirâ quidem ſanctimoniâ & integritate conſcriptus eſt; vtcunque de libri huius authore, authoritate ac ſtyli Apoſtolici dignitate & grauitate, veterum nonnulli, iampridem non minus dubium & varium iudicium ſtatuerunt, quàm de Canonica olim B. Pauli Epiſtola ad Hebræos, quòd pro Nouatianis facere videretur. In hoc diuino Libello vetuſtiſſimo, ac precioſiſſimo, Spiritus Sanctus, Apoſtolica quidem dignitate ac grauitate, de rebus futuris agit, & quidem præſcriptis verbis: In quo Spiritus Prophetici nomẽ vbique eminet, & veterum Prophetarũ non tantũ veſtigia, ſed ſentẽtiæ, ipſáq; verba & Characteres apparent, quum manifeſta & magnificentiſſima vbique cum diuinitatis Chriſti, tùm noſtræ redemptionis teſtimonia, in eodem perſpicuè extent; immò tantæ Maieſtatis plena prophetiæ, non vni alicui Eccleſiæ, ſed (quod Apoſtolicæ planè dignitatis eſt) Aſiaticis ipſis Eccleſijs, de earundem Eccleſiarum excidijs conſcriptæ ac denuntiatæ, & ſcorti illius ſeptẽ collibus inſidentis, regno, prædictiones. Adeò vt pro certo ſtatuendum ſit, Spiritum Sanctum, hic congerere voluiſſe, quæ ex ſuperiorum prophetarum prædictionibus implenda, poſt Chriſti aduentum ſupererant: ac nonnulla etiam addidiſſe, quatenus noſtrâ intereſſe

tereſſe cognouit. Et, vt Danielis prophetiâ, manifeſtè continentur prædictiones malorum & afflictionum Eccleſiæ, à deportatione Babylonica vſque ad Chriſti aduentum; Sic hac Prophetiâ & Apocalypſi reuelantur afflictiones, & mala Eccleſiæ deſtinata, à Chriſti aduentu ad conſummationem ſeculi, & eiuſdem reditum in iudicium. Myſteria quidem arcana continet, eáque maximè abſtruſa & obſcura; at minimè noua in Prophetarum (ac præſertim Ezechielis) ſcriptis. Et quod prouerbio fertur τὰ καλὰ χαλεπά, difficilia ſcilicet quæ pulchra. Verum nouit Dominus quid quatenus noſſe expediat, Ideoque Prophetarum lucem, pro ſua infinita ſapientia, non aliter iam olim temperauit, quàm Eccleſiæ vtile fore præſciuit. Et de arcanis ſcripturæ pìè quidem dictum eſt. Bonæ ſunt in Scripturis S. myſteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vileſcant: ob hoc quæruntur, vt exerceant: ob hoc autem aperiuntur, vt paſcant. Sentent. 87. Iſta tamen Spiritus Sancti myſteria, vtcunque arcana & abſtruſa, ſi ea quâ ſanctos & ſinceros decet, pietate & integritate, ſobriè & citra faſtum ſcrutentur, & cum ſcripturis ſacris & Propheticis ſtudioſè ac diligenter conferantur, lucem adferent haud dubiè manifeſtam. Cæterum expedit, vt myſteria hæc ſacra, Sancti Dei homines, cum timore & religione, quatenus fas & vtile eſt, ſcrutentur: Omnes verò, ſiue quæ nouerint, ſiue quæ non nouerint, hoc Libro comprehenſa Dei myſteria, veneranda potius & admiranda, quàm faſtuoſis & prophanis ſuis commentis fœdanda & curioſius indaganda exiſtiment. In hoc verò libro, metro conſtringendo, planè quidem (quod in tanto myſterio magnum eſt) perſpicuè & dilucidè, ab authore explicantur omnia: In quibus adeò religioſè (vt fert ipſe) verſatus eſt Author, vt cùm ſcribat Hieronymus, tot in libro myſteria quot verba eſſe, penè verba ipſa expreſſerit: & qui à Prophetarum, qui Hebraicè ſcripſerunt, ne verbis, ne-

dum

dum Caractere, cum genuino & Orthodoxo textu, ipso Sancto Spiritu dictante, conscripto, discedere voluerit. Qui nisi huic palo, & inseparabili quasi vallo alligatus esset, multò quidem numerosius & artificiosius in hoc argumento poëtico, quod voluit, efficere potuisset. Adieci praeterea huic operi, ad dilucidiorem eiusdem intellectum, cum hoc Prologo, libri etiam & singulorum Capitum Argumenta, ex optimis scriptoribus deprompta; adscriptis etiam cuiusuis paginae frontispicijs, rei subiectae paginâ tractatae, Epigraphis. Edinoduno
pridie Cal. Augusti.
1617.

AR-

ARGVMENTVM LIBRI.

HAc diuinâ Prophetiâ continentur, quæ Spiritu Sancto dictante ac reuelante, conscripsit Apostolus, & Ecclesiæ Christianæ patefecit, de rebus futuris vaticinia: Ac primùm visiones duæ mysticæ; Quarum prior est mysterij septem Candelabrorum aureorum, hoc est, septem Ecclesiarum Asiaticarum (In quorum medio, consistere visus est Filius hominis; Saluator, & Dominus noster Iesus Christus) & septem stellarum, hoc est septem Angelorum, seu earundē Ecclesiarum ministrorum, ad quos scribere iubetur Apostolus. Ephesiorum scilicet, Smyrnæorum siue Smyrnensium, Pergamenorum, Thyatirensiū, Sardiensium, Philadelphiensium, & Laodicensium. Posterior Visio, Diuinæ Maiestatis gloriam continet, quæ à quatuor animalibus & viginti quatuor senioribus celebratur. Hinc librum, septem sigillis obsignatum, quem nemo aperire potuerat, Agnus ille Dei purus & castus, solus qui aperiat dignus, omnium cœlestium voce decantatur. Dein, liber apertus, ab Angelo nube amictus, Oraculi iussu, Ioanni deuorādus traditur. Templum metiri iubetur: Duo testes à bestia interfecti, in vitam reuocati, ad Cœlum euocantur: Terrentur impij: Bestia multiceps describitur; Eiusdem Character & numerus. Septem diuini furoris phialas effundunt septem Angeli: Quarum effusionem, plagæ septem vltimæ consequuntur. Bestiæ mysterium; Excidium Babylonis; Mercatorum terræ luctus. Christi descriptio. Bestia comprehensa, cum Pseudopropheta. Angelus, Satanam vinculis ad mille annos constringit; quibus solutus, & exacto tempore, Gogum atque Magogum, hoc est occultos et apertos Ecclesiæ hostes, cum cæteris terræ gentibus à Satana seductos, in

Sanctos Dei concitat; quorum tamen insolentiam, Domini vindicta coërcet. Vltimum denuò apparet iudicium, quo aperiuntur libri conscientiæ, operumque nostrorum indices ineluctabiles, & nostri quasi rationales, ex quibus iudicantur viui & mortui. Hierusalem noua describitur. Aquæ viuæ fluuius & arbor vitæ. Vltimò denique, Prophetiæ huius veritas & certitudo indubitata, diuino testimonio approbatur; Cui quidvis addere, vel diminuere, nefas, interminatione magna, & sacro anathemate strictè cauetur.

APO-

APOCALYPSIS
S. IOANNIS THEOLOGI,
Latino Carmine reddita.

CAP. I.

Indicat doctrinæ genus quod hic tractatur: nempe illius, qui est principium & finis: Deinde septem candelabrorum & stellarum mysterium explicat.

ECce Relegatus per tesqua Imperuia Pathmi
Magnus Ioannes, quâ Christus luce resurgens
Perdomuit mortis furias, Orcumque subegit:
Extra se raptus, dum sacras pectore flammas

Concipit, hæc hausit diuina oracula vates.
Quæ rerum pater omnipotens, quæ Christus Iesus,
Qui fuerat, semperq; idem est, & temporis expers
Tempore præscripto veniet, qui cuncta gubernat
Imperio, Regum Princeps, soboleſque ſubactæ
Prima necis, memori Iussit committere chartæ.
Vix ea fatus erat, cùm me conuertere cœpi,
Percipere vt cuius mihi vox post terga sonaret;
Et iam conuerso, septem sese aurea monstrant
Candelabra mihi, medióque in tramite, Christo
Persimilis, lambens deducto syrmate terram
Vestis erat, cingens victrices aurea mammas
Zona, relucebant niuei candore capilli;
Et rutili flammis oculi, pedibusque politi
Effigies æris, calido candentibus igne:
Vox multas referebat aquas, septémque tenebat
Astra, manu dextrâ; gladium vibrabat ab ore
Ancipitem, facies, quali Titania lampas
Lumine, cùm medium scandit sol aureus axem.
Obstupui, visu exanimis, pedibusque voluto,
Imponens dextram, sum primus & vltimus, inquit
Pone metum, qui nunc æterna in sæcula viuo,
Expertus tristes quondam sub morte dolores.
Infera regna mihi parent, mortisque tenebris
Impero, Tu calamo tantùm committe fideli
Quæ cernis, quæ sunt, quæ postera viderit ætas.

Stella-

Stellarum nomen, (typicis vis mystica verbis
Namque subest) claros vitâ, & pietate decoros
Pastores verbi fulgentes lampade signat:
Aurea candelabra, Greges, quèis purius aurum
Nullum est, & Christi radiantes sanguine puro.

CAP. II.

Iubetur Ioannes scribere quæ Dominus necessaria nouerat Ecclesijs Ephesiorum, Smyrnensium, Pergamenorum, & Thyatirensiũ, vt quę ab Apostolis acceperunt, teneant.

PAstori hæc Ephesi scribas, qui sydera septem
Gestitat, in medio candelabra aurea lustrans;
Sic inquit; nec me factorum obliuio capit,
Nec duri, quos tu pateris, fugêre labores;
Sed mihi nota tua est constantia, nescia virtus
Ferre malos, illos ritè explorásque, probásque?
Quisquis Apostolico mendacia nomine velat.
Sed contra te pauca habeo; nam pristinus ille
Cessat amor, fugére procul dilectio chara,
Et feruor tuus ille olim, quo sidera adibas:
Nunc memori perpende animo, quo culmine præceps
Excideris: resipisce ergo, & tua ritè priora
Facta obeas, sed si nolis parere monenti,

Mox adero iudex, candelabrumque mouebo
Sede ſuâ, ingratâ vt Chriſti grex exeat vrbe.
At laus iſta tua eſt, quod fœdæ peſſima ſectæ
Nicolaï conſtans odiſti crimina ſemper
Deteſtanda pijs: Victori, ex arbore vitæ
Quam medio Paradiſus alit gratiſſimus horto,
Menſa erit: arrectas hic poſcit Spiritus aures.
Smyrnæo paſtori hæc, primus & vltimus, inquit,
Qui viuit, paſſus triſtes ſub morte dolores:
Non ignota mihi tua facta, afflictio dura,
Pauperiéſque grauis, quanuis tibi copia cornu
Affluat, & verâ diteſcas pauper opúm vi.
Blaſphæmas voces ſcio, quas Iudæus Apella
Euomat, haud Iudæ illius generoſa propago,
Sed Satanæ Synagoga, cohors & degener Orci.
Crux vobis toleranda grauis, pædórque ferendus
Carceris, hæc in te ſtatuit Tentator acerba,
Sed breue tempus erit; decimâ nam luce procellas
Finiet, haud metuas conſtanti pectore mortem;
Præmium erit, nunquam perituræ gloria vitæ;
Arrigite huc aures, hæc Sanctus Spiritus inquit:
Victorem ſemel, haud iterum mors altera lædet.
Paſtori hæc Aſiæ ſcribas, qui Pergama celſa
Incolit; hæc, gladius dicit cui militat anceps,
Cui dubia eſt acies; noui tua facta, fidémque
Egregiam, nec te fidi mors martyris olim

Ter-

Terruit Antypæ, meme, vt noménque fidémque
Abnueres; ſtabilis, nixus fundamine petræ.
Sed contra te pauca habeo, nam nouimus iſtîc
Sectantes Balaam, Balaácum hîc ſcandala Regem
Iſraëliticæ docuit proponere genti,
Mactata idolis ederent, & corpora pulchris
Polluerent ſcortis, irritamenta Tonanti.
Sic tibi Niccolao haud deſunt auctore profecti,
Oſa mihi retinent fædæ qui dogmata ſectæ:
Tu reſipiſce ergo, quod ſi non feceris, ecce
Mox veniam, gladioque mei pugnabitur oris:
Arrigite huc aures; hæc Sanctus Spiritus inquit.
Victori ſtatuam confecti præmia belli
Manna occultum illud; dabitur quoque calculus albus
Innocuo, noménque nouum, quod neſciat vllus
Inſcriptum, tanto præter qui munere gaudet.
Hæc verò Thyatirenſi reſcribe Miniſtro;
Sic ſatus ille Deo, rutilis cui flamma coruſcat
Luminibus, cui pes puro purgatior ære;
Noui operam, quantóque fides tua præſtet amore,
Subſidióque pijs, dubijs patientia rebus
Enituit, videóque tuos increſcere fructus:
Sed Ieſabelem falſo ſub nomine vatis
Scortari, pateriſque meos ſeducere ſeruos,
Vt ſcortis operam nauent, mactatáque veſci
Idolis, diſcantque illorum accumbere menſæ.

Illam

Illam ego ſi noſtris monitis parere recuſent,
Infamésque ſimul mœchos ſub tegmine lecti
Conijciam, væ quanta illos afflictio, quámque
Dura manent, quantâque luent mihi morte nepotes?
Me tunc eſſe illum diuina Eccleſia noſcet,
Cui cordis pateant adytus, ſecretáque renum
Scrutor, pro meritis iuſto libramine penſans
Facta hominum: at reliqui Thyatîræ ex vrbe fideles,
Qui Satanæ occultas nequaquam agnoſcitis artes,
Dogmatis expertes huius, non durius vllum
Tanget onus, tantùm quod habetis, firmiter illud
Seruate, adueniam certo dum tempore iudex.
Victori mea qui conſtans mandata tenebit,
Quæ Pater ipſe Deus me quondam in regna vocauit,
Imperium in gentes tribuam, quas ferrea ſceptra
Comminuent, tanquam fragilis vas fictile terræ.
Auroræ primo ſydus quod lucet Eoo,
Et matutinam gratus dabo præmia ſtellam.
Quiſquis habes aures, quæ dicit Spiritus, audi.

CAP.

CAP. III.

Sequitur epiſtola quinta ad Paſtores Eccleſ. Sardiēſium, Philadelphienſium, & Laodicenſium, ne tepidi ſint, ſed gloriam Dei promouendi operam dent.

SArdibus hæc ſcribas paſtori, pneumata ſeptem
Illa Dei qui habet, & totidem qui ſidera geſtat,
Sic inquit; noui te nomine viuere ſolo,
Cùm ſis exanimis, cùm ſint tua mortua facta:
Sed vigila, laceróſque artus moribundaq; membra
Collige, confirmdque, ac obſeruare memento
Quæcunque audieris; perfectæ ſemita vitæ
Non eſt trita tibi; reſipiſce, & peruigil eſto:
Sin nolis, mediæ veniam ſub tempora noctis,
Tanquam fur veniam quâ non ſperaueris hora.
Sed ſunt nonnulli, quos nunquam ſordida veſtis
Polluit, hos albo mecum dignabor amictu:
Victorem albato circum velamine cingam,
Nec vitæ illius nomen delebitur albo,
Verùm id Patre meo coram cætúq; fatebor
Angelico, patulas quin huc aduertitis aures,
Quod Gregibus Chriſti mandatum Spiritus effert.

Paſtori iſta tuo, ſanctus, Philadelphia, dicit
Et verax, cui Dauidicæ cuſtodia ceſſit
Tota domus, clauéſque tenens, quique oſtia pandit
Et claudit nemo, claudítque, & nemo recludit.
Omninò tua facta patent, patulíque recluſi
Oſtia liminibus, quæ nemo occludere poſſit,
Et tibi magna meæ eſt oblata occaſio laudis.
Scintillas virtutis habes, noſtræque tenacem
Doctrinæ præſtas animum, nec tempore duro
Doctrinámque, fidémque meam, nomenq; negaſti.
Ecce tuos faciam Satanæ Synagoga vt adoret
Ante pedes, qui ſe mendaci nomine Iudæ
Progeniem, & ſanctà iactant è ſtirpe creatos:
Cognoſcéntque tibi quanto coniungar amore;
Et quoniam noſtri ſeruaſti oracula verbi,
Temporibus dubijs patiens, tentatio nulla
Eſt nocitura tibi, totum quæ gentibus orbem
Affliget, populóſque ipſum explorabit ad vnguem.
Ecce citò aduéniam, ſinceri dogmata verbi
Pura tene, tua præripiat ne præmia quiſquam;
Victori tribuam firmam, ſtabilémque columnam,
In templo remanere Dei: noménque beatum
Inſcribam, Iouæque, ac quam Ioua incolit, vrbis
Quæ noua ſublimi Solymæ diſcendit Olympo.
Et noſtra inſcribam calamo noua nomina viuo.

Quiſ-

Quiſquis habes aures, quæ dicit Spiritus audi.
Hæc Laodicenſi ſcribas mandata Miniſtro.
Sic tibi dicit Amen, verax teſtiſque fidelis,
Principium diuini operis, cui cuncta creata
Eſſe ſuum debent, naſcentis tempore mundi.
Facta tua agnoſco, nec friges ipſe, caleſue:
O vtinam aut feruens zelus te, aut frigus adurat!
Sed quoniam es tepidus, totum mihi nauſea pectus
Occupat, & noſtro mox eructaberis ore:
Affluis, vt ſperas, opibus, nullius egenum
Eſſe putas, nec te miſerum, ærumnoſum, inopémque,
Et cæcum, & nudo gradientem corpore, noſti.
Conſulo emas aurum de me, quod ſeptimus ignis
Coxerit, vt veris poſſis diteſcere nummis.
Quam ſuperinducas veſtem mercaberis albam,
Dedecus vt cæles nudum, medicamina ocellis
Noſtra para, queîs te lippuſque, & cæcus inungas.
Quos amo, caſtigo; quos acriter arguo, amore
Proſequor; ô igitur reſipiſce, ac æmula præſta
Pectora, diuino feruens ſuper omnia zelo:
Ecce fores peto, ſto patiens, atque oſtia pulſo,
Si faciles præſtent aditus, hic hoſpita mecum
Iura colet, cænabo vnà, mecumque viciſſim
Hoſpes cæleſtis cænabit fercula menſæ.
Victori tribuam cæleſti in ſede ſedere
Sede meâ, Pater vt ſolio reſidere paterno

Concessit mihi, ducenti de morte triumphum:
Quisquis habes aures, quæ dicit Spiritus, audi.

Cap. IIII.

Alia narratur visio diuinæ maiestatis gloriam continens: quæ à quatuor animalibus, & viginti quatuor senioribus celebratur.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Vóxque audita meas è cælo perculit aures
Clangentis de more tubæ, quin ocyus istas
Scande arces, ventura vide, quid tempora portent.
Iamque animo abreptus, positum cæleste tribunal
Aspicio, gratâ splendebat Iaspide sessor,
Et viridis, quali collucet Sardius ore.
Circum, iris, solium pacato ambiuerat arcu,
Smarragdum aspectu referens, sellæque ter octo;
Sunt totidem positæ senibus, quos candida vestis
Circuit, ac auro gestabant fronte coronas.
Prodibant solio fulgur, tonitrúque tremendum;
Voces, quæ ardent septenâ lampade flammæ.
Ante thronum, magni sunt septem hæc Pneumata Iouæ.
Illic & pelagus vitreum, & crystallina cerno
Æquora, tum quatuor ceu bruta animantia circa,
Inq; throni medio multâ radiantia luce,

Plena

Plena oculis ante & retrò : primum ore leonem
Prætulerat, vituli fert altera bestia formam,
Tertia, vultu hominem, sublimi expresserat ore,
Quarta, aquilæ similis, pansis per inania pennis.
Senas quæque alas habuit, nec nocte quietem
Indulgent oculis, Sanctus sed voce perenni
Terque canunt, sanctus Deus es, cui summa potestas.
Semper eras, sempérque idem es, qui tempore iudex
Præscripto venies toti iustissimus orbi.
Cúmque Deo viuo tribuere animalia laudem,
Tum longæua cohors seniorum ætate verendâ
Procidit ante pedes, & cæli numen adorat,
Sessorémque throni qui in secla perennia viuet.
Ante thronum abiciunt, quod gestant frontibus aurum,
Sícque aiunt, Domine, ô soli tibi gloria, honósque
Conueniunt, virtúsque omnis, tu cuncta creasti
Arbitrio, placitóque tuo, tua sacra voluntas
Conseruat mundi molem, nutúque gubernat.

Cap. V.

Liber septem sigillis obsignatus, quem nemo aperire poterat: Agnus ille Dei, dignus qui ipsum aperiat, omnium cœlestium voce decantatur.

TVm vidi ad dextram solij, soliôque sedentis,
Intùs, & à tergo descriptas vndique chartas,
Signatum clausit quod septima cera volumen.
Angelus exclamat fortis, quis soluere Librum
Dignus, & arcanæ reteget signacula chartæ?
Nec quisquam inuentus celsi super atria cœli,
Nec terræ in gremio, nec per regna infera subtus,
Soluere qui librum, possítque aperire sigilla.
Tum lacrymis maduêre genæ, fletúque profuso
Quæstibus indulsi, quòd nullus idoneus esset
Aut librum legere, aut mysteria pandere sacra.
Tum senior, ne fleto, inquit, Leo stirpis Iudæ,
Dauidicæque domus vicit, septémque Sigilla
Soluet, & arcano reserabit scripta libello.
Ecce inter solium, quatuôrque animalia, & ipsâ
Maiestate senes, tanquam cecidisset ad aras,
Agnus, cui septem findebant cornua frontem,
Septem lucebant oculi, sunt pneumata magni
Ista Dei, totum à Iouâ dimissa per orbem.

Tunc

Tunc Agnus solium accessit, dextrâque sedentis
Accepit librum, quatuorque animantia prona,
Procumbúntque senes agno, cytharæque sonabant
Ex auro laudes agni, phialáque replebat
Suffitus, sunt hi grati, libamina cordis,
Sanctorúmque preces: tandem noua carmina cantant
Non audita priùs: Tu librum soluere dignus,
Tu septem clausum ceris aperire volumen;
Nam tua mors cunctos nos tristi ex morte redemit,
Quamcunque incolimus gentem discrimine nullo;
Nósque Sacerdotum, decoras & nomine Regum,
Regali sceptro in terrâ regnabimus ipsâ.
Tum verò aspexi, vocésque his auribus hausi,
Circa ipsum solium, circáque animalia, circa
Spectatósque senes, Iouæ illic militat ingens
Angelicâ de gente cohors, numeróque teneri
Nescia; quid memorem decies centena canentum
Millia, vel millies centum millena recorder?
Et sic voce canunt, Ille est dignissimus agnus,
Mactatus quondam effuso qui sanguine viuit.
Illi debetur virtus, sapientia, robur,
Diuitiæque, & laus, benedictio, gloria cuncta.
Quinetiam audiui cunctas res ordine factas
In cœlo, aut facie terræ, aut tellure sub imâ,
Et quæcunque fouet spatioso gurgite pontus,
Omnia sessorem solij laudantia, & agnum.

Illi

Illi debetur benedictio, gloria, honoſque,
Et robur, cui nec per ſæcula cuncta dies.
Tunc, Amen, quatuor recinunt animalia, proni
Procumbuntq; ſenes, viuentem in ſæcula adorant.

Cap. VI.

Aperit Agnus primum Libri ſigillum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, & ſextum. Quibus apertis, cædes, fames, peſtis, ſanctorum querelæ, terræ motus, & varia cœli prodigia oriuntur.

TVnc demùm aſpexi, primúmque aperire ſigillum
vidi Agnum, primúmque animal me voce vocabat,
Ceu tonitru ingenti; niueo mox concolor ore
Prodit equus, toto exornat quem corpore candor.
Cuius terga premens intenſo fulminat arcu,
Geſtabátque ſuo victricem crine coronam,
Ipſe triumphanti ſimilis; victoria nanque
Certa fuit; tum vidi aliud referare ſigillum,
Exclamánſque, ſecundum animal me cernere iußit.
Inde rufus prodibat equus, qui inſederat illi
Suſtulit è terrà pacem, bellúmque repentè
Miſcuit, & multo fœdauit ſanguine terras,
Accinxítque enſem femori magnum, atque cruentum.

Tertia

Tertia cera iterum reſeranti paruit agno,
Tertiáque admonuit me cernere beſtia, equúmque
Cerno nigrum, trutinam ſeſſoris dextra tenebat.
Vóxque audita mihi, pretium denarius eſto
Chœnicis tritici, totidem mercabere nummis
Hordea, menſuriſque tribus: ſed vina caueto
Atque oleum lædas, horum tibi nulla poteſtas.
Iámque agnus quartæ pandit ſignacula ceræ,
Inuitátque animal quartum me, vt cernere poſſim;
Pallidus exit equus, cui mors inſederat, illam
Infernus ſequitur, pars illis credita terræ
Quarta fuit, ſæuo ſeu mallent perdere ferro,
Seu fame tabifica, vel peſtibus vrere nigris,
Seu prædam placeat rabido obiectare Leoni.
Poſtquam agnus quintam patefecerat ordine ceram,
Vidi illorum animas, qui ſacra oracula vitæ
Prætulerant propriæ, quos Sæuâ morte tyranni
Affecêre Dei cauſſâ, verbíque beati;
Altaris ſuberant animæ ſic voce precantes;
Vſquenè, Sancte Deus, mortem patieris inultam,
Iuſtáque ceſſabit noſtri vindicta cruoris?
Tunc ſtola cuique data eſt, prælonga & candida veſtis,
Et mandata illis requies, quæ tempore duret
Exiguo, donec ſimili quem victima morte
Grata manet, numerum perfecto impleuerit albo,
Conſeruos, fratréſque eadem mactauerit ara.

Hinc ſextum patuit ſignum, caua viſcera terræ
Dant fremitum, nutant terrâ titubante columnæ.
Sol niger obduxit tetrâ fuligine vultus,
Expauitque diem, ſaccus velut horridus atrís
Contextus de more pilis, tum candida Phœbe
Sanguineâ rubuit facie, cecidêreq; cœlo
Sidera, ceu ficus ventorum turbine groſſos
Abijcit, & teneros fructus violentia venti
Concutit; expanſum conſpexi abſcedere cœlum,
Inque plicas volui compacti more libelli.
Tum montes ceſſêre loco, non inſula ponti
Tuta fuit, Reges terræ, proceréſque potentes,
Ingenui, & ſerui ſpeluncís abdere ſeſe
Montibus attoniti, & cæcis latuêre cauernís.
Affanturq; illos, in nos diſcendite montes,
Obruite ô Petræ, nos irâ abſcondite ab Agni,
Seſſoríſque throni, nam tandem maximus ille
Terribiliſque dies diuinæ apparuit iræ.
Et quis ſtare queat, quem non abſorpſerit horror?

CAP.

CAP. VII.

Graſſantes in Orbe Angeli inhibentur, donec Electi Domini ex omnibus Tribubus ſignentur. Deinde eorum qui Chriſti cauſa perſequutionem ſuſtinuerunt, fœlicitas & gaudium deſcribitur.

TVm quatuor ſtabant, totidémque in finibus orbis
Angelicæ gentis, queis ventos ſiſtere tantùm
Cura fuit, terris flaret ne gratior aura,
Ne mare perflarent venti, prodéq; ſeque poſſent
Arboribúſque, ſatíſque, & terræ è viſcere natis.
Angelus ecce alter campis veniebat Eoís,
Portabátque ſigillum illud, quo fronte notare
Aſſueuit, vitæ quoſcunque aſcripſerit albo.
Spiritibúſque, inquit, quatuor quêis lædere terram
Et mare veliferum fuerat conceſſa poteſtas;
Ne mare, ne terras, ne fructus lædite terræ,
Dum Iouæ electos patulâ ſignauero fronte.
Millia ſignauit centum Iſraële profectos,
Atque quaterdena, & quatuor duodenáque gentis
Singula ſignabat; Iudâ, Rubéneque nati
Gadditæ, ac Aſeris proles, & Nepthalis, atque
Manaſſæa domus, complebat millia Leui,

Et Symeon, totidem Zabulon, ſtirpíſque Ioſephi,
Iſſachar, & minimo gaudet qui Beniamin ortu.
Ponè ſequebantur cunctis è finibus orbis
Innumeræ gentes, populorum maxima turba
Ante thronum, ac agnum ſtabant, ſtola candida cunctis
Veſtis erat, palmas victricis gloria palmæ
Ornabat, ſicque ore canunt; Tibi, maxime Ioua,
Noſtra ſalus, ſolij ſublimi in ſede ſedenti
Debetúrque agno; tùm quæ circa ordine cingunt
Angelicæ mentes ſolium, ſanctúmque ſenatum,
In facies cecidêre ſuas & numen adorant.
Ioua, tua eſt virtus, ſapientia, gloria, honóſque,
Robúrque, & grates, benedictio, ſæcula cuncta.
Inque æuum ſine fine, Amen, ſic omnia fiant.
Tum ſenior, qui ſunt iſti quos candida veſtis
Circuit, unde domo? cùi pauco murmure rurſum
Reſpondi, me ſcire nihil, ſed poſſe latere
Te nil tale puto, qui ſic eſt ore loquutus.
Hi ſunt quos preſſit duris afflictio telis,
Erepti crucis è flammâ, veſtéſque lauabant,
Atque dealbarunt agnini in ſanguinis undâ.
Iccirco ante thronum ſemper, noctéſque diéſque
Diuino inuigilant templo, quíque inſidet alto
Sublimis ſolio Ioua, tunas incolet ædes.
Non illos maleſana fames, non ſæua per æſtum
Vrgebit ſitis; æternæ nam ad paſcua vitæ

Agnus

Agnus, & ad viuos fontes deducet aquâi,
Et lachrymas omnes vdis absterget ocellis.

CAP. VIII.

Septimo sigillo aperto, offeruntur Sanctorum preces per suffitus. Procedunt septem Angeli cum tubis : & quatuor primis clangentibus, ignis decidit, mare turbatur, aquæ amarescunt, & stellæ obtenebrantur.

SEptima cera patet tandem, mediâque silebant
Fermè horâ in cœlo, septem qui astare solebant
Spiritibus coram Iouâ, concessa potestas
Terribiles inflare tubas; Ecce Angelus alter
Thuribulum ex auro gestans, redolentia thura,
Suffitusque dati, precibus quæ iuncta piorum
Idque altare super, puro quod fulgetrat auro,
Ante thronum offerret, grati mox fumus odoris,
Sanctorúmque preces, summi subiêre parentis
Conspectum Iouæ, & placidum ascendêre tribunal.
Et iam thuribulum altaris repleuerat igne
Angelus in terram vibrans, tonitrúque tremendum
Insequitur, vocésque sonant, & fulgura flammas
Ejciunt, titubátque suo concussa tumultu
Tellus, nec propriâ potis est se sede tueri.

Clangere tum cæpere tubæ, primúſque canoro
Angelus ære ſonat, miſtus cum grandine ſanguis
Atque igne, in terram cecidit; pars tertia aduſta
Arboribus, fœnúmque omne, & viridantia prata.
Tunc alius clanxit, tanquam mons igneus altum
In mare præcipitat ſeſe, pars tertia ponti
Sanguineo rubuit fluctu, quæque incolit vndas
Bellua,, quæque cauæ pelagus ſecuere carinæ,
Tertia pars harum periit: mox tertius ære
Angelus inſonuit, vidi diſcendere cœlo
Permagnum flagrans ardenti lampade Sidus:
Tertia pars dulcis lymphæ fontéſque cadentem
Excepere vndis ſtellam, quas protinus omnes
Peſtifero infecit guſtu læthalis amaror.
Nanque dabant ſtellæ nociturum abſynthia nomen.
Mox quartus clanxit, clari pars tertia ſolis
Inuoluit niueos cæcâ caligine currus,
Tertia pars lunæ latuit, pars tertia ſtellis,
Et lumen terris, noctúque diúque negarunt.
Angelus inde alter, mediúmque ſecabat Olympum
Clamabátque volans, væ, væ, mortalibus ægris,
Væ quàm dura manent, perituram afflictio gentem
Cùm clangent reliqui tres, & tuba ſeptima cunctas
Finierit plagas, plauſúque impleuerit orbem.

CAP.

CAP. IX.

Quinto Angelo clangente, locustæ vastatrice prodeunt. Sextus autem clangens, equites edicit humanum genus deuastantes.

VT primum magno quintus clangore refulsit
Angelus, en fumno vidi de tegmine cœli
Præcipitem stellam in terras cecidisse patentes.
Cui claues imo putei qui stagnat abysso
Concessæ fuerant, reseranti maximus exit
Fumus, vt ardenti fornax cùm exæstuat igne.
Nigruit obductus tetrâ fuligine Titan,
Desperatque diem; fumoq; obnubilus aër,
Nec solis radios, nec lucida sidera vidit.
Exierant fumo numerosâ gente locustæ,
Scorpius vt pungit, talis concessa potestas
Est illis, vetitumq; fuit ne gramina terræ
Depopularentur, virides ne lædere campos,
Arboribusue nocere velint, sed damna rependant
Tantùm homini, quicunque Dei signacula fronte
Non gestat, verùm non illis tollere quenquam
Morte licet, cruciant menses sed quinque locustæ.
Vtque venenato lædit quem scorpius ictu,
Talis eis dolor est, optatæ funera mortis

Sæpè

Sæpè petent, ſed mors illis optata, quietem
Non dabit, & ſurdâ clamantes negliget aure.
Qualis equus ſe ad bella parans cùm fortia voluit
Prælia, cum ſtimulos addit ſub pectore Mauors,
Effigies talis, taliſque figura locuſtis
viſa eſt, hæque auro, geſtabant crine coronas
Perſimiles, facies humana expreſſerat ora;
Crinibus vt mulier, referebat dente leonem,
Loricámque humeris ex ferro aptabat, & alæ
Dant ſonitum, tanquam currus in bella ruentes.
In cauda vis omnis erat, caudatáque tanquam
Scorpius, ingentes ſpirabat aculeus iras.
Quinque nocent menſes, regali prædita ſceptro
Angelus eſt, imo nequam qui præſidet Orco.
Nomen Abaddon habens Hebræo idiomate; Græco,
Nomen Apollyon, perdentis cuncta tyranni.
Væ nunc vnum abijt, duo adhuc ventura ſuperſunt.
Tum ſextus clanxit, quatuorq; è cornibus aræ
Illius ex auro, quam Iouæ aſpectat ocellus,
Vox ſubitò mandat, vinctos Euphratis ad vndas
Solueret, Angelicâ quatuor de gente Miniſtros:
Illi autem partâ mox libertate, parati
Inâ horamque, diemque, & menſtrua tempora lunæ
Semper erant, ternámque hominum diſperdere partem.
Iámque equites vidi, numerúmque bis auribus hauſi,
Millia bis milies centum, circum igneus illos

Ve-

Vestit, & constans hyacintho ac sulphure thorax,
Assimilabat equus rabidi capita alta leonis,
Sulphureóque ferox vomit atra incendia ab ore,
Tertia pars hominum cæsa est, violentia flammæ
Sustulit, & fumus sulphurque quod exijt ore.
Ore nocent, caudáque simul, vis omnis in illis:
Caudà serpenti similes, mortalibus istæ
Nil plagæ mouere animos, vt Dæmonis artes
Abijcerent, simulachra auro constantia, & ære;
Et ligna, & lapides, nostræ ludibria dextræ
Ne colerent, quanuis surda, & nil cernere possint.
Sed neque latrones effuso sanguine quicquam
Pœnituit, nec quæ saga imis manibus instat,
Nec mollis qui se stupro oblectabat adulter,
Nec fur peruerso flexere è tramite calles.

CAP. X.

Alius apparet Angelus amictus nube, libellum apertum tenens, inclamat: & Ioanni Oraculi iussu, deuorandum tradit.

ANgelus ecce alter fortis discendit olympo,
Nubis ei velamen erat, pacatior Iris
Insedit capiti, facies solaria vicit

Lumina, flamma pedes, ignitæ more columnæ
Effigiat, librúmque manu gestabat apertum;
Inq; mari dextrum vidi, terrâque sinistrum
Imposuisse pedem, magnâque hæc voce profantem,
Clamantémque simul, rabidi vox visa leonis:
Insequitur fulmen, septémque tonitrua, voces
Emisere suas, quas omnes scribere nobis
Cura fuit, sed vox memori committere chartæ
E cœlo vetuit, iussitque includere signis.
Angelus ille idem, sua qui vestigia fixit
Inque mari, & terrâ, tollens ad sidera dextram,
Iurauitque Deum viuum, & quæcunque creauit,
Per cœlum, & terras, & vastis æquora campis,
Quæque illis insunt, tempus non amplius vllum
Fluxurum mundo, sed cum tuba septima clanget,
Accipient tandem Iouæ mysteria finem,
Quæcunque à sanctis fuerant prædicta prophetis.
Tum vocem audiui, quæ me affabatur, eandem
Dicentem; vade, & librum quem cernis apertum,
Angelicâ de prome manu; nec segnis ex iham,
Poscentique dedit librum, iussitque vorarem.
Dulcis in ore, inquit, nec mel tibi dulcius vllum,
Venter amarus erit: subitò mandunt aperegi,
Exhausíque librum, mihi dulcor melleus ore
Magnus erat, sed ventrem ingens torquebat amaror.
Tum dixit, quanuis magnis defuncte periclis,

Te

Te grauiora manent, nam coram Regibus ipſis,
Et populis, linguis, & gentibus, ire neceſſe eſt:
Vulgabiſque iterum noſtri præconia verbi.

CAP. XI.

Templum metiri iubetur. Dominus teſtes duos excitat, quos à beſtia laniatos, nemo terræ mandat. Deus autem in vita reuocatos, ad cœlum euocat. Terrentur impij, & ſeptimi Angeli tuba, reſurrectionis, & iudicij nuntia, deſcribitur.

TVm calamum accepi, quiq; adſtitit Angelus, inquit,
Ocyus exurge, & ſacri penetralia templi,
Cultoréſque illic, qui cœli numen adorant,
Menſura, ſacrámque iubet dimetiar aram,
Atria menſurare caue, nam gentibus illud
Attribui, ſanctam calcabunt inſuper vrbem,
Pérque quater denos menſes, lumiſque duabus.
Aſt ſubitò eripiens, binis dabo teſtibus illam,
Quique prophetabunt bis centum, mille diebus
Atque duodenis luſtris, & corpora vili
Præcincti ſacco, orgebunt reſipiſcere gentes.
Hi ſunt illæ oleæ binæ, & candelabra bina,
Illius ante oculos, terræ qui ſceptra gubernat.

Si quis eis noceat, tum protinus ignis ab ore
Exit, & hostiles consumet flamma cateruas.
His indurandi cœlum concessa potestas
Ne pluat in terras, hi lymphas reddere possunt
Sanguineas, plagásque velint quascunque nocentes
Inferre in terras, dum vatum munera præstant.
Ast vbi finierint, imo mox bestia abysso
Exiliet, bellumque geret, victósque necabit.
Inque vrbis magnæ plateis inhumata iacebunt
Corpora, quam possis AEgyptum dicere verè,
Et Sodomam, nam noster ibi Seruator Iesus,
Affixúsque crucí fuerat, mortémque subiuit.
Spectabunt ternis populi, linguæque diebus,
Dimidiâque necem, nec cæsa cadauera condi
Tellure, aut vllos tumuli patientur honores.
Gaudebunt homines, & mutua munera mittent,
Vatibus occisis, qui tristibus vndique plagis
Afflixere orbem nequam, Iouæq; rebellem.
Sed cùm condiderit sese lux tertia mundo,
Et medium alterius cernas abysse diei,
Spiritus ecce Dei rediuiuos corporis artus
Restituet, rectósque pedes incedere vates
Cernere erit, gelidus mortalia pectora terror
Pulsabit, timidúmque animum, & trepidantia corda.
Tum vox audita è cælo conscendere vates
Iusserat, accepit nubes, hostéque videbant

Diuinos

Diuinos teſtes cæleſti in ſede locari.
Inſequitur terræ motus, motúmque, ruina
Vrbis, parte ſui decimâ cecidiſſe recordor.
Et terræ oppreſsit motus, ſeptena virorum
Millia, ſed reliquis concuſsit pectora terror,
Et celebri Iouæ cecinere encomia laude.
Væ ſupereſt vnum tantùm, duo tranſiuerunt.
Septimus inſonuit clangor, vocéſque ſuperne
Auditæ in cœlo, capiunt terreſtria finem
Imperia, & ſolus rerum potietur habenis
Omnipotens, Chriſtus q; eius perſæcula cuncta.
Protinus in facies, viginti quattuor vnà
Procubuere ſenes, & proni numen adorant.
Dicentes, grates; imo de pectore grates
Nos agimus, tibi celſe Deus, qui ſemper es idem,
Qui fueras, & quem venturum oracula pandunt.
Namque poteſtatem magnam, regnúmq; perenne
Victor inis, tumidas tempus compeſcere gentes,
Iudicij tempus, quo ſanctis læta prophetis
Præmia, quo cunctis nomen metuentibus almum,
Paruiſque, & magnis, æquali lance rependas.
Et perdas cunctos, cupiunt qui perdere terram.
Tum patuit templum in cœlo, tum fœderis arca
In templo viſa eſt, vidíque micantia flammis
Fulgura, & audiui voces, tonitrúque tremendum,
Et terræ motum ingentem, cum grandine magnâ.

Cap. XII.

Mulieris parturientis signum apparet, cuius partui insidiatur Draco, qui à Michaële deiectus, deijcitur. Et quo magis vincendus excluditur, eò acriùs pijs imminet.

Iamque aliud signum cœlo apparebat aperto;
Fœmina quæ claro sole radiabat amictu,
Sub pedibus Lunam calcans, capitique coronam
Bis senæ stellæ aptabant, vterumque ferebat;
Exclamans, multo, prolem paritura, dolore.
Tunc aliud vidi signum, magnúsque, rufúsque
Ecce Draco, cui longa decem sunt cornua fronti
Et septem capita; inque illis diadomata septem.
Stellarum ternam partem caudâque trahebat,
Inque ipsam proiecit humum, nec destitit vnquam
Horridus ille Draco parituræ assistere, donec
Prolem absorpsisset, carissima pignora matri.
Illa enixa marem, cui ferrea sceptra, rebelles
Pacabunt gentes, subitóque ad sydera raptus,
Adque thronum Ioue, serpentis fugerat ira.
At mulier loca sola petit, sedé nque paratam,
Tutò vbi pascatur bis centum, mille diebus,
Et sexagenis, rabidi secura Draconis.

Tum

Tum magnum in cælo vidi increscere bellum:
Ex vnâ celsus pugnabat parte Michaël,
Angelicæque eius gentes quæ castra sequuntur:
Ex alia Draco magnus erat, quique incolit Orcum
Spiritus immundus, latis multa agmina campis,
At subito Draco deiectus, cælestia nunquam
In loca successit, sed magno pondere victus
Presit humum, comitésque vnà cecidere rebelles.
Hic ille est Satanas, mundi seductor, & ipsum
Illecebris totum vanis qui fascinat orbem.
Tum vox audita in cælo, partam esse salutem;
Virtutem, regnúmque Dei, Christíque perenne
Imperium, pulso Sat[illegible] qui nocte, diéque,
Detulerat fratres in crimina ficta fideles.
Ast illis Agni victoria sanguine parta est,
Et veri fuerant constanti pectore testes,
Prætulerántque suæ diuina oracula vitæ.
Propterea capiant læti noua gaudia cœli,
Quique colunt cœlos: sed væ qui terrea vectat
Incolitis, væ qui degit vagus incola ponto.
Ad vos descendit Satanas, atque æstuat irâ.
Et quoniam exigui nouit sibi temporis vsum
Concessum à Ioue, feruentius instat in iras.
At Draco deiectus, sequitur vestigia semper
Fœminea, illius nuper cui masculà proles
Edita, cui binæ concessæ cælitus alæ,

Per-

Pernicisque aquilæ, quibus in deserta viarum
Auolet, illa petens solis arua inuia campis,
Et propriam repetens sedem, diuinitùs escam
Pascitur ad tempus, per tempora, dimidiúmque
Temporis, & rabidi viuit secura Draconis.
Tum Draco delusus flumen post terga volantis
Eiecit vomitu, rapidis vt mergeret vndis.
Sed miserata illam tellus, tota æquora siccis
Faucibus excepit, gremióque absorpsit aperto;
Et magno serpens irarum fluctuat æstu,
Deseruitque illam, semper cum semine Sancto:
Bella gerens, quicunque Dei mandata verentur,
Et pelagi extremis vestigia fixit [illegible]nis.

CAP. XIII.

Describitur bestia illa multiceps, quæ maximam mundi partem in idololatriam seducit, quæ ab alia bestia ascendente confirmatur.

BEstia tunc ingens pelagi ascendebat ab vndis,
Hæc septem capitum fuit, & bis quinque ferebat
Cornua, dena super vidi diademata, cornu
Quodq; suo; capitique inerat Blasphemia nomen.
Vrsinis animal pedibus fuit, ore leonem
Prætulerat, reliquo similabat corpore pardum.

Illi

Illi virtutem sæuus Draco detulit omnem;
Imperium, sceptrúmque suum, virésque, thronúmque.
Tunc vnum ex denis lethali vulnere vidi
Afflictum caput, at subitò de vulnere tanto
Conualuit, totúsque orbis miracula cernens
Attoniti coluere animal, magnumque Draconem,
A quo suscepit tam magnas Bestia vires.
Dicebántque, pari num quis se robore iactet;
Aut animali ausit magni certare Draconis?
Osque datum est illi, magna & blasphema loquendi,
Pérque quater denos menses, lunísque duabus.
Bestia mox ore in numen baccatur aperto,
Inque tabernaclum Iouæ conuicia iactat,
Inque pios, qui tecta colunt cælestia ciues.
Cum sanctis fera bella geret, quos vincere ferro
Ioua dedit, latè & toti dominarier orbi.
Inque tribus, linguas, gentes, populosque potentes.
Et cuncti coluêre illam, quicunque volumen
Ignorant vitæ, quorumque oblita libello
Nomina sunt Agni illius, qui cæsus ab orbis
Principio, primus mundi cùm surgeret axis,
Humanam proprio seruauit sanguine gentem.
Audiat auritus; quisquis captiua triumphat
Agmina, seruili patietur vincula collo.
Sanguine qui gaudet fuso, humanóque cruore,
Non aciem ferri, aut cædem vitabit acerbam.

Hic pietas, hic se in Sanctis patientia monstrat.
Bestia tunc alio ex terræ ascendebat hiatu
Cornua bina ferens, Agnique simillima fronte.
Sermo Draconis erat; vires, regnúmque prioris
Coram exercebat, mandat cultoribus orbis
Vt pelagi monstrum pro cæli numine adorent,
Cuius læthalis curata ex vulnere plaga est.
Edidit hæc multis miracula maxima signis,
Fecit & ardenti flammas discendere cœlo,
Seduxítque homines, primíque animalis imago
Condita, quod nuper læthali à vulnere vixit.
Quinetiam in factâ inspirauit imagine vitam,
Effecitque loqui, cultum quicunque negasset,
Non aliter tantum facinus quàm morte piabat,
Atque characterem magnos paruosque coëgit,
Dité/q; ac inopes, seruos ac libera colla
Frontibus accipere, & dextrâ præferre patenti.
Edicto cautum, ne quis diuendere posset
Aut emeret, nisi signa gerens hæc fronte, notásque.
Si nomen numerúmque eius tu forte requiras,
Et sapere exoptas, primum sexcenta recense,
Sexaginta addas & sex, sic Bellua constat.

CAP.

CAP. XIIII.

Agno stante super montem Sion: vnà cum castis suis cultoribus, Angelus vnus Euangelium nunciat: Alius Babylonis causam prædicit: Tertius bestiam vitari monet. Vox è cœlo beatos illos pronunciat, qui Domini causa moriuntur. Mittitur posteà falx Domini in messem, & in vindemiam.

ECce Agnum vidi, stantemque in monte Sionis,
Centum illi astabant, decies quatuorque piorum
Millia bisque duo, patris signata sigillo.
Tum vox audita è cœlo, ceu flumina ripis
Multa fremunt, tonitrúque ingentia murmura miscet.
Audiui & cœlo cytharas, & plectra canora
Ante thronum, lectósque senes, animaliáq; ipsa,
Psallebant q; nouum carmen, quod discere quisquam
Haud posset, nisi dena quater, queis millia centum,
Ac duo bis iungas sancto qui monte manebant.
Facibus è terræ cunctos hos emerat Agnus;
Castáq; virginitas, ac inuiolata remansit
Nullius polluta thoro; nec fœmina cuiquam
Nota fuit, Christumq; Agnum quacunq; sequuntur
Primitiæ Iouæ, ac Agni gens inscia fraudis

Atq; doli, gens nullius malè conſcia culpæ.
Angelus inde alius medium ſulcabat Olympum,
Promulgans verbum æternum, & ſic voce profatur.
Diſcite mortales, Iouæ laudẽ, que, metúmque,
Iudicij aduenit non euitabilis hora.
Mox alium audiui, cecidit, quæ maxima nuper
Præcipuas inter Babylon caput extulit vrbes.
Vrbs Babylon cecidit, nam vinum præbuit iræ
Gentibus, expreſſit fædo quod corpore ſcortum.
Angelus inſequitur ſic tertius ora reſoluens;
Si quis adorarit, quod prodijt æquore monſtrum,
Effigiémq; eius cultu obſeruauerit amens,
Quique characterem dextrâ, vel fronte patenti
Geſtârit demens, hic pocula plena fuoris
Ebibet, & Iouæ immenſâ ſe proluet irâ.
Perpetuus cruciatus erit, nec nocte quietem
Nec luce inuenient, ſed torrida ſulphure flamma
Torquebit miſeros, fumúſq; aſcende ad auras.
Hîc ſe Sanctorum conſtans patientia monſtrat,
Hîc Iouæ ſeruat quiſquis mandata, probatur;
Hîc probitas, hîc alma fides, pietáſq; pateſcit.
Tunc vocem ex cœlo me compellaſſe recordor
Dicentem, ſcribas; ô terq; quaterque beati
Qui Domini cauſſâ vitam cum funere mutant
Spiritus affirmat; requies nam parta laborum,
Et benefacta illos, faciunt quæcunq; ſequentur.

Aſpexi,

Aspexi, & subitò visa est mihi candida nubes,
Ac homini similis, qui nube insederat albæ,
Læta corona caput multo redimiuerat auro,
Atq; manu dextrâ falcem gestabat acutam.
Angelus inde alius, templi è penetralibus exit,
Alloquitúrque illum qui nubi insederat albæ.
Nunc age, tempus adest, terræq; immittito falcem;
Aruit omnis ager campis, maturáq; messis
Pondere succumbens grauidis flauescit aristis.
Nec mora, demessa est Cereali munere tellus.
Cælesti è templo tunc Angelus exiit alter,
Falciger ille etiam, quem sacrâ aduectus ab arâ
Angelus alloquitur, qui maximus imperat igni:
Tempus adest, nam iandudum maturuit vua,
Falce metas botros, & culti iugera Bacchi:
Paruit extemplo, facta est vindemia terræ;
Vinea falce cadit, magnæ lacus excipit iræ
Calcandas vuas, procul extra mœnia sacræ
Calcatus lacus vrbis erat, multóq; cruore
Diffluxit, sanguisq; ad frœna ascendit equorum,
Per spatium sanguis stadiorum mille cucurrit
Et sexcentorum, sic torcularia sudant.

Cap. XV.

Apparent ſeptem Angeli habentes plagas ſeptem vltimas. Victores beſtiæ Deum laudant. Angelis ſeptem dantur ſeptem diuini furoris phialæ.

Deinde aliud ſignum valde admirabile vidi
In cœlo, ſeptem Angelicâ de gente Miniſtri
Poſtremas plagas completæ cælitùs iræ
Attulerant, vidi vitrei tanquam æquora ponti
Mixta igne, aſtantesq; illos quicunq; triumphum
Rettulit ex monſtro, vel monſtri nomine, ſiue
Nominis ex numero, pſallebant carmina Moſis
Ad cytharas, carmenq; Agni: Tua maxima Ioua
Sunt opera omnipotens, & mirabilia cuncta:
Sunt iuſtæ rectæq; viæ, Rex inclyte Regum,
Quácunq; incedis, quis non tua magna timebit
Numina; quis Iouæ laudémq; decúſq; negabit?
Solus enim es Sanctus, cunctæ tua numina gentes
Sacra colent, tandem nam ſunt tua cognita terris
Iudicia, egregióq; regi moderamine mundum.
Deinde tabernaculum cœlo apparebat aperto,
Fœderis æterni teſtis, templóque recluſo
Cum plagis ſeptem Angelici exiuere Miniſtri.

Can-

Candida vestis erat puri de stamine lini,
Ex auro zonæ cingebant pectora, mammis.
Tunc animans vnum ex quatuor mox tradidit illis
Ex auro phialas, quas Iouæ impleuerat ira.
Fumabat templum, tanta est præsentia Iouæ,
Maiestas, virtúsq; eius, nec limina templi
Ingressum dederant, dum finiuere Ministri
Angelici plagas, cælestísq; ira quieuit.

CAP. XVI.

Effundunt Angeli septem commissas sibi diui furoris phialas, quibus effusis, variæ plagæ i orbe terrarum exoriuntur, ad terrendos impro bos, & magnæ vrbis incolas.

TVm vox Angelicos è templo affata Ministros
Ite, ait, & phialas in terram effundite septem,
Diuinæ phialas iræ: primúsq; repentè
Effudit phialam, quæ noxia vulnera fecit
Bestícolis, cunctísque, eius quos terret imago.
Altera diffusa in pelagus, tota æquora putri
Compleuit sanie, ceu pus quod mortua reddunt
Corpora, nec quicquam pōti sub marmore vixit.
Tertius in fontes, & flumina mitia terræ
Diffudit phialam, manabant sanguine riui,

Cla-

Clamauitque ipſis qui præſidet Angelus vndis,
Iuſtus es, ô Ioua, & iudex æquiſsimus Orbi,
Qui fueras, ſempérque idem es, tua ſancta veremur
Iudicia in terris; gauiſi ſanguine vatum
Sanguineos potant latices, & plena cruore
pocula; quem ſubitò ſequitur qui ſancta tenebat
Angelus, & fatur, Deus ô cui ſumma poteſtas;
Iudicia in terris tua iuſta & vera fatemur.
Angelus hinc phialam quartus diffudit in Orbem
Soliferum, ſequiturque ingens ac torridus æſtus;
Igneus æſtus erat, blaſphemáque verba loquuti
Sunt homines, propter miſſam diuinitùs iram:
Sed mentem in melius non mutauêre rebellem,
Nec laudem, vt par eſt, dignam tribuêre Tonanti.
Tum regnum ſuper atque thronum, quo beſtia ſedit,
Angelus effudit phialam, tenebræq; repentè
Inuaſêre thronum, & regnum caligine cæcâ;
Compulerátque dolor tacituras mandere linguas,
Et Iouæ maledicta dabant, ſic vlcera fœda
Excruciant miſeros, vix è mortalibus vnum
Pœnituit, fugítque malæ commercia vitæ.
Effudit phialam ſextus, qui decidit ingens
Flumen in Euphratis, ficciſq; exaruit vndis.
Vt via quos oriens mittet tranquilla paretur
Regibus; aſpexi, vidiq; ex ore Draconis,
Et monſtri illius magni falſique prophetæ,

Pneu-

Pneumata, ceu ranas tres exiuisse paluſtres.
Hæc ſunt dæmonia, his ſignorum mira poteſtas,
Miraclíſq; valent, Regéſq; in prælia cogent,
Illius magni, quem fixit Ioua, diei
Adueniam, furíſq; inſtar, quater ille beatus
Qui veſtitus erit, ne nudum tegmine corpus
Aſpiciant, videantq; pudendæ opprobria carnís.
Monte Mageddonio, campís vbi Siſara victus
Occubuit, celebris cernent certamina pugnæ.
Septimus effudit phialam, vaſtóq; reſedit
Aëre, vox ſequitur templóq; audita, thronóq;:
Factum eſt, & tandem ceperunt omnia finem.
Fit ſonitus fulgúrq; ingens, tonitrúq; tremendum,
Et terræ motus magnus, non ſæcula talem
Vlla recordantur primæui ab origine mundi.
Dirupta in ternas tunc eſt vrbs maxima partes,
Et cecidere omnes habitatæ gentibus vrbes.
Ac animum ſubijt memorem Iouæ omnipotentis
Illa ferox Babylon, cui pocula præbeat iræ.
Diſparent montes, non inſula credere ponto,
Diffugíq; petens latebras, magnæq; talenta
Grandinis, in cunctos terræ qui tecta colebant
Deciderant, tantæq; homines mouere procellæ,
Vt blaſphemarent cœli terræq; parentem.

Cap. XVII.

Describitur meretrix illa magna, cum qua Reges terræ scortantur, ebria piorum sanguine: & bestia quæ portat illam: mysterium vtriusque & exitium. Postremò Agni victoria.

Tvnc vnus, phialam in terræ qui effuderat orbem
Angelus accessit, dixitque, huc ocyus adsis,
Monstrabò, tibi meretricis fata superbæ,
Quæ tumido fastu multis superinsidet vndis.
Vile illud scortum, cunctis se Regibus orbis
Prostituit, vino temulentos reddidit omnes
Cultores terræ meruit quod corpore fœdo.
Haud mora, ab humano procul in loca dissita cultu
In deserta feror, subitò me Spiritus illuc
Transtulerat, mulier visa est, quam rubra vehebat
Bestia, nominibus Blasphemis plena, decémque
Cornua erant fronti, & septem capita alta ferebat.
Purpureo mulier corpus velabat amictu,
Coccina vestis erat, puri non defuit auri
Copia, gemmarúmq; aderat pellucidus ordo.
Aurea pocla manu fœdo scortatio vino
Polluit, immundis replens, quod abominor, vuis.
Inscriptum fronti Babylon, mysteria disce,

Scorto-

Scortorum mater, meretrix primaria terræ.
Ebria erat mulier Sanctorum pota cruore,
Nec me cernentem parua admiratio cæpit.
Angelus hinc, inquit, cur te admiratio tanta
Corripuit, nam cuncta tibi mysteria pandam?
Bestia visa tibi, non est, sed vixerat olim,
Atq; iterum ex imo veniens ascendet abysso,
Exitiúmq; petet, mirabitur incola terræ,
Nomina qui nescit vitæ descripta libello
Huc aduerte animum tibi si sapientia curæ est,
Si septem capitum numerum, & mysteria quæras;
Sunt septem colles, quos muro circuit vno
Impura hæc meretrix, quæ montibus insidet illis.
Sunt etiam septem Reges, fatalia quinque
Debita soluerunt, vnus nunc sceptra tuetur,
Nondum alius vênit; sed postquam aduenerit, illum
Ostendent tantùm terris crudelia fata:
Bestia quæ fuerat, non est, hunc esse notabis
Octauum, quanuis è septem dicere possis.
Cornua fronte decem, totidem sunt sceptra tenentes
Regia, sed nondum regno, sceptrísq; potiti.
Acceptumq; vnà regnum cum bestia inibunt
Concilia, & vires iungent; mens omnibus vna,
Cedere iure suo, & regnum concedere monstro.
Contra agnum fera bella gerent, sed prælia vincet
Agnus, & electi cuncti, sanctiq; vocati.

Nam dominus noster Reges supereminet omnes.
Angelus hinc, inquit, meretrix quibus insidet vndis
Sunt populi, & gentes, linguæq́, & maxima turba;
Cornuáque illa decem, tandem dignum in meretricem
Concipient odium, desolatamq; relinquent,
Et nudam, crudis nec parcet carnibus esca,
Assabúntq; etiam, & calido torrebitur igne.
Sic placuit Iouæ, Reges sua subdere monstro
Sceptra semel, sed cùm cepêre oracula finem,
Tum demum iußit rapidis exurere flammis.
Fœmina visa tibi, totius maxima terræ
Vrbs est, quæ Reges supra caput extulit omnes.

Cap. XVIII.

Horrendum Babylonis excidium propopitur. Lugent negotiatores terræ, quæ ex pompa & luxu eius ditati sunt. Exultant verò omnes electi, ex tam iusta Dei vltione.

TVm cœlo in terram discendit nuntius alter,
Magna cui virtus, totus resplenduit orbis
Maiestate viri, magnâq; hæc voce profatur:
Nunc cecidit Babylon, prauíque est hospita facta
Dæmonijs, nequamq; hæc spiritus incolit antra,
Immundæque simul volucres, nam Regibus illa

Cun-

Cunctis mæcha fuit, mercatoréſque beauit
Diuitijs, vinúmque dedit, vinúmque biberunt
Omnigenæ gentes, irati ob crimina louæ;
Crimina adulterij, meretricis crimina fædæ.
Mox alia è cœlo vox eſt audita, popelle
Mi procul egredere in terram, Babylone relictâ;
Ne ſcelere illius, plagíſque ob crimina multa
Participes, cumulata eius peccata luatis.
Nam creuit ſcelerum numerus, cœleſtia tangens
Atria, loua memor meretrici digna rependit
Supplicia, & pœnas ſceleratâ à gente repoſcit.
Reddite ei duplum, quæ vobis noxia cunque
Fecerat, eiuſdem date mutua pocula vini
Menſurâ duplâ, quantum ſeſe extulit illa,
Quantum luxuriæ tribuit, tanto omnia luctu
Impleat, & miſero cruciatu gaudia penſet.
Nánq; animo hæc ſecum tumido, Regina per orbem
Præſideo, vidui nec noui tædia lecti,
Nec dolor alterno vertet mea gaudia luctu.
Ergo vnâ venere die luctúſque, famésque,
Et mors, & mortis comites, exuſtáque flammis
Igne luit pœnas, iuſtus ſic omnia vindex
Conſtituit ſcorto, ſic ſtat ſententia louæ.
Tum timidi flebunt Reges, & mollis adulter
Ingemet ad clades, cùm fumum aſcendere in auras
Viderit, & dicent, Babylon vrbs maxima terræ

Vah cadís, & ſubitâ premeris depreſſa ruinâ,
Iudicióque Dei, meritas qui exarſit in iras.
Quin mercatores etiam ſpes perdita lucri
Incitat ad luctus, quum merces ampliùs illas
Nullus emat, merces auro, argentóque refertas,
Quas merces gemmæ, & pretioſis ſerica villis,
Purpuraque, & rubri commendat gratia cocci:
Omne thymum, lignum, vaſa omnia eburnea, vaſa
Ex ære & ferro, & pario de marmore facta,
Suffitus, cinnamomum, & redolentia thurâ,
Vnguenta, & vinum, ac oleum, triticum, ſimilámque,
Iumenta, & pecudes, & equos, hedáſque ſequentes,
Mancipia, ac animas hominum, non amplius in te
Inuenient opera, aut maturo tempore fructus
Delitias facient, procul à te cuncta recedent
Egregia, hinc iſtis ditati mercibus, heu
Clamabunt, vrbs magna perit, cui byſſina veſtis,
Purpuraque, & coccus velabant tegmine corpus,
Totdque conſpicuis gemmis radiabat, & auro.
Quomodò diuitias tot, paruâ aboleuerit horâ.
Necnon & nautæ, qui nauibus æquora ſulcant,
Quíque mari quæſtum faciunt, incendia cernent
Illa procul, dicéntque, vrbs magno talis in Orbe
Num fuit, aut nautas pretijſque, opulúſq; beauit?
Fædabúntq, caput cineres, luctúmq ciebunt.
Exulta O cœlum, Sancti exultate Prophetæ,

Exul-

Exultétque Sacer quem Christus misit in Orbem
Ille chorus, vestro sumit de sanguine pœnas
Nunc Deus, & tumidos vindex vlciscitur hostes.
Angelus inde alius dextrâ saxum arripit ingens,
In mare proiiciens, magni mola ponderis illa
Visa mihi, ac inquit, Babylon tanto impete magna
Corruet, & nunquam posthac caput efferet Orbi.
Non tuba, nec cytharæ, nec musica tympana posthac
In te festiuâ resonabunt carmina voce.
Artificum ignorabis opus, mola nulla minutam
Confringet Cererem, non in te lampadis vsus
Vllus erit, nulli celebrabunt festa hymenæi.
Nanq; tui quondam, vel magnis Regibus æqui
Mercantes fuerant per te seductáque tellus
Præstigiisq; tuis, sanguis super omnia, sanguis
Sanctorum vatum & quisquis mactatus in Orbe
In te est inuentus, ioudmque accendit in iras.

CAP.

Cap. XIX.

Laudant cælestes Deum, quod vindicarit sanguinem suorum è manu meretricis. Beati scribuntur, qui ad cænam nuptiarum Agni vocati sunt. Angelus adorari se prohibet. E cœlo summus ille Rex regum apparet. Bellum oritur, in quo apprehenditur bestia, & in stagnum ardens deijcitur.

TVm vox ingentis turbæ resonabat Olympo,
Eiá Deum laudate omnes, nam gloria, honósq;,
Virtus, atque salus, Domini sunt omnia nostri:
Nam quæcunq; facit sunt iusta, & vera per Orbem
Iudicia, infamis lata est sententia scorti;
Cuius vesana est corrupta libidine tellus;
Móxq, iterum laudate Deum per sæcula cuncta,
Exustæ ascendit meretricis fumus ad auras.
Tum proni in faciem viginti quattuor vnà
Procubuere senes, quatuórque animalia Iouam
Sessorem solij, magnâ laudantia voce.
Vóxque throno audita est, Iouam laudate, timetis
Quicunque illius nomen, ditésque, inopésque;
Et vocem audiui, tanquam quæ flumina murmur
Multa cient, vel quæ sonitum procul ære canoro

Dat

Dat tuba, vel fulmen, quod cælo detonat alto.
Eia Deum laudate omnes, nanque imperat Orbi,
Et Dominus noster rerum molitur habenas
Omnipotens, læto celebremus gaudia cantu;
Nanque Agnus ducet, cui longo tempore, sponsam
Accepitque, deditq; fidem, se ad coniugis illa
Aspectum ornauit, sponsæ data byssina vestis,
Hæc sunt; quæ sanctos homines benefacta sequuntur.
Tum dixit, scribas; ô terq, quaterq; beati,
Accîti ad thalamos agni, & conuiuia læta.
Hæc veri sunt verba Dei, cecidîque repentè
Ante pedes, vulturus eram, verùm Angelus ipse
Me vetuit, dicens, sum tantùm seruus Iesu,
Conseruúsque tuus, testísque ex fratribus vnus
Veridici Christi, quo cuncta oracula tendunt,
Fac Iouam metuas, & Iouæ numen adores.
Tum cœli patuere fores, albúsque repentè
Exit equus, nomen, verax simul, atque fidelis
Sessori fuerat, pugnat qui, & iudicat æquè,
Lumina flammabant oculis, diademata multa,
Ornamenta aderant capiti; nec nomina norat
Præter eum quisquam, rubicundo tincta cruore
Vestis erat, sermóque Dei pro nomine dictus.
Poné sequebantur cælestes ordine turmæ,
Vestibus ex byssopuro, niueisque vehentes
Semper equis, gladius prodibat acutus ab ore

Quo feriat gentes, ipse est qui ferrea sumet
Sceptra manu, gentésq; reget, vincétq; rebelles,
Calcabitq; lacum magnum, cui vina furoris,
Iratíq; inerunt Iouæ, Iouæ omnipotentis.
Vestibus inscriptum fuerat, fæmoríque recluso
Insculptum nomen, Regum Rex maximus, atq;
Supra omnes Dominos: clamabat solis ab Orbe
Angelus hic, volucri quæ finditis æthera pennâ
Huc adsitis aues, vos ad conuinia magni
Inuito festiua Dei, nam Regia præstò
Fercula erunt, Regum carnes, hominúmq; potentum,
Bellatoris equi carnes, quiq; insidet illis,
Libérque & seruus, vobis præbebitur esca;
Bestia, tum terræ Reges in bella coëgit,
Illum aduersus, equo pugnans, qui insederat albo;
Sed captiua fuit, captus quoq; pseudopropheta,
Qui vanum, fictis signis, eluserat Orbem,
Besticolásque, & quos monstri terrebat imago.
Hi duo in ardentem coniecti sulphure flammam,
Occísi reliqui ferro, quod sessor acutum
Ore gerit, volucres illis saturantur abundè
Carnibus, & lautis celebrant conuiuia mensis.

CAP.

CAP. XX.

Angelus, Satanam vinculis conſtringit ad mille annos, quibus ſolutus Gog & Magog, hoc eſt, occultos, & apertos Eccleſiæ hoſtes, in Sanctos Dei concitat. Sed Domini vindicta coërcet illorum inſolentiam. Aperiuntur libri, ex quibus iudicantur mortui.

DEînde alium celſo vidi deſcendere cœlo
Angelicæ gentis, clauem portabat abyſſi,
Inque manu validæ geſtabat vincla catenæ,
Antiquum ſerpentem illum (delator iniquus
Dicitur, ac Satanas hoſtis) dextrâque prehenſum
Nexuit, ac imo nexum concluſit abyſſo
Ne miſeras poſſet Satanas ſeducere gentes,
Manſurum per mille annos; tum poſtera ſoluent
Sæcula, & exigui concedent temporis vſum.
Mox vidi ſedes poſitas, ſtabilitaque cœlo
Iudicia, hæc Sanctis fuerat conceſſa poteſtas,
Ac animas hominum vidi, quicunque ſecuri
Percuſſi fuerant, dum ſacra oracula vitæ
Prætulerant propriæ, & mundi ludibria ſpernunt.
Hi neque beſticolæ fuerant, neque Beſtiæ imago
Culta illis, nullus dextrâ, vel fronte character.
Viuent cum Chriſto, & regnabunt mille per annos;

Cætera turba tamen, cognato in puluere, somnum
Dormiet, haud victura, priùs millesimus annus
Quàm completus erit, hæc est surrectio prima.
O ter fælices homines queis portio in istâ
Contigit; haud illos vnquam mors altera lædet;
Pontifices, Regésque Dei, Christíque, per annos
Millenos: quos vt currens absoluerit ætas
Carcere soluetur Satanas, totúmque per Orbem
Cardinibus terræ è quatuor Gogum atque Magogum,
Innumeras gentes populosque in prælia coget
Qualis Arena maris numerari nescia ponti
Spargitur in campos, & latè littora complet.
Castraque metati, sacram Iouæque per vrbem
Obsidio firmata fuit, sed cælitùs ignis
Depluit, ac hostes flammanti absorbuit æstu:
Seductor Satanas, in sæui sulphuris ignes
Coniectus fuerat, pœnas ibi pseudopropheta
Ille luit, patitúrque immanis Bestia flammas.
Ecce thronum magnum, & nitido candore nitentem,
Et cœlum, & tellus, faciem fugére sedentis,
Machinaque antiqui subitò disparuit Orbis,
Ingentes populi astabant, & mortua turba
Ante Deum, magnique aderant, simulátque pusilli:
Iudicijque liber patefacto tegmine lectus;
Quemque reum, ex dictis proprijs, factísque peregit:
Aſt alij patuére Libri, vitæque volumen

Ad-

Adfuit, & Christi electos seruauit Iesu.
Quos mare veliuolum tumidis absorbuit vndis:
Quos mors abripuit, quos infera regna profundo
Excepêre sinu, cunctos sub iudicis ora
Constituent, vt pro meritis condigna reportent.
Mors in stagnantes damnata est igne paludes,
Infernúsque simul; mors hæc est illa secunda.
Et cuius vitæ non est in codice nomen,
Ille, locis pœnas soluit stagnantibus igne.

CAP. XXI.

Nouam Ierusalem descendentem è cœlo, sponsam, Vxorem Agni, ac illius structuram describit, pretiosis lapidibus ornatam, cuius templum est Agnus.

MOx cœlum & tellus, (nam primus vanuit Orbis,)
Sunt noua visa mihi; nec vasto gurgite Nerêus
Amplius extabat, totisque abcesserat vndis.
His oculis vidi Solymæ noua mœnia sanctæ,
Comptæ instar sponsæ, summo descendere cœlo.
Voxque audita polo, nunc Ioua habitacula ponit
Humanos inter populos, hominúmque vocari
Vult Deus, & populum rursum appellabit amicum;
Abstergétque oculis lachrymas, non amplius horror

Mortis erit, tristi cessabit nænia luctu.
Nec dolor extabit, nec mæsto clamor in ore.
Nam prima interiere, throno qui insederat albo
En noua nunc, inquit, facio quæcunque per Orbem
Extiterant, iussitque hæc verba fidelia scribam.
Actum est; ille ego sum, qui primus, & vltimus, & qui
Principium & finis, súmque Alpha & Omega solus.
Qui sitit, accipiet viuæ de fontibus vndæ,
Et gratis dabo, nec pretio mercabitur vllo:
Cunctorum possessor erit, qui vicerit hostem.
Propitius Deus illi adero, mihi filius ille.
Charus erit, sed gens timida, ac incredula turba,
Gens execranda, ac effuso sanguine gaudens:
Dedita gens scortis, vetitas quæ inquirit in artes,
Quique idola colunt, fictâ mendacia fronte.
Quique tegunt, illis stagnanti portio in igne.
Dicta est, & morti suberunt post fata secundæ.
Tunc vnus, phialam in terræ qui effuderat Orbem,
Accessit, dixitque mihi, tibi protinus Agni
Vxorem ostendam, casto quam ducere nexu
Decreuit, sociámque thori, propridmque dicauit.
Spiritus inde Dei, celsi me in culmina montis
Transtulit, ostenditque vrbem, quæ maxima visa est,
Sanctam, inquam, Solymen, manantem à tegmine cœli:
Gloria Iouæ inerat, monstrabat lumen Iaspis
Chrystalli splendens instar ter maxima sanctam

Mœnia

Mœnia cingebant vrbem sublimia, muris
Bis sex portæ inerant; in quâq; erat Angelus vnus,
Atq; Israëlis descriptæ nomina stirpis:
Tres oriens vidit rediuiuo lumine portas,
Tres medio caluere die, tres sole cadente
Hesperus aspexit, Boreas tres terruit alis.
Bis sex vallati fuerant fundamina muri,
Et sacer ille chorus per Christum emissus in Orbem
Nominibus descriptus erat, mox ille loquelam
Qui mihi contulerat, calamum gestauerat auri,
Mensuriúsque vrbem, portásq; & mœnia sancta.
Vrbs quadrata fuit, longi, lati, atque profundi,
Æqualis mensura cubi, duodenáque ritè
Angelus explorans stadiorum est millia mensus.
Centenis murum cubitis, decieſq; quaternis
Quattuor est mensus, mensuráque funditus vna est
Angelica, ac hominis; sed murus Iaspide constat,
Vrbs puro constructa auro, vitróque nitente.
Fundatus murus pretiosis vndique gemmis;
Fundamentum vnum viridis ponebat Iaspis,
Sapphirus sequitur, lapis à Chalcedone dictus
Tertius, at quarto Smarragdus in ordine, quintus
Sardonichi similis fuerat, sextúsque locatur
Sardius, & nomen puro qui ducit ab auro
Chrysolitus sequitur, numeróque Berillus in illo

Octa-

Octauus, nonum reddit que Topazius, atque
Chrysopraſus decimum, lapis vndecimúmque Hyacinthus,
Poſtremúſque Amethiſtus erat, fundamina complens.
Bis ſex è gemmis portæ, gemma vnica totam
Complebat portam, purum fora fecerat aurum.
Templum nullum inerat, Ioua is, cûi ſumma poteſtas
Omnipotens Agnus, templi vice munia complet.
Nil Lunâ, nil Sole opus eſt, ſic gloria Chriſti
Eminet, atque Agnus clarâ ſic Lampade fulget.
Inque illâ incedent ſeruatæ lampade gentes.
Adque ferent Reges illi, laudémq; & honorem.
Tempore nec ſtridens claudetur porta diurno,
Nec nox obſcurâ tinget caligine terras.
Et cunctæ gentes magnarum encomia laudum
Vſque ferent, nil hâc pollutum, aut vrbe prophanum,
Aut mendax inerit, ſed quorum inſcripta libello
Nomina ſunt Agni, qui vitæ continet album.

CAP.

CAP. XXII.

Ostenditur aquę viuę fluuius, & arbor vitę, sequitur prophetiæ huius conclusio, in qua Ioann. ostendit, verissima esse quæ hîc continentur, & iam tertiò repetit, dictata hæc omnia ab eo esse, qui est A & Ω.

DEinde mihi ostendit, viuis manantia lymphis
Flumina, chrystalli puram referentia formam,
Et Iouæ è solio vidi procedere fontes,
Inq; fori medio, ac vtriusq; in margine ripæ
Arbor erat vitæ, per bis sex tempora lunæ
Fertilis, in menses cunctos sua poma ferebat,
Et frondes, possint quæ gentibus esse saluti.
Nec maledictum inerit, sed Iouæ habitaculum & agni
Hic inerit, famuliq; suo seruire Tonanti
Contendent, vultúmque Dei, faciemq; videbunt.
Fronte patente gerent æterni nomen Iouæ,
Nec noctem agnoscent, nec cernent lumina solis,
Nec lucerna inerit, Iouæ præsentia clarum
Lumen erit, regnum per sæcula cuncta tenebunt.
Tum dixit, fida hæc sunt & veracia verba.
Sanctorum Dominus vatum, quem miserat, ille
Angelus admonuit, venturo tempore posthác
Quæ citò succedent, quæ proxima viderit ætas.
Ecce ego mox adero, istius quicunque libelli

Verba obſeruarit, felix erit atque beatus.
Ipſe ego Ioannes hæc vidi, ac auribus hauſi.
Et cecidi in faciem pronus, pedibúſq; volutus
Angelicis, culturus eram; verum Angelus ipſe
Me vetuit, dicens, ſum tantùm ſeruus Ieſu,
Conſeruúſq; tuus, Chriſtiq; ex vatibus vnus;
Huius qui ſeruant diuina oracula libri,
Æternum ſolum, cultu dignabere Iouam.
Tum dixit, caue ne libri myſteria ſignes,
Nam breue tempus erit, quò cuncta hæc ordine fient.
Qui nocet, in noxâ pergat, cupiátq; nocere;
Qui ſordet, ſordeſcat adhuc; ſed iuſtior vſq;
Iuſtus erit porrò, ſanctus quoq; ſanctior vſque.
Ecce citò adueniam, & iuſtâ mercede laborum
Penſabo cunctos, cuiuſque vt facta merentur.
Ille ego ſum, rerum qui finis principiumque,
Vltimus & primus, ſumque Alpha ac omega ſolus.
Quicunque illius ſeruant mandata beati,
Illi ius plenum remanebit in arbore vitæ,
Nec niſi per portas ipſam ingredietur in vrbem:
Aſt incantator, ſtygio qui carmine gaudet,
Immundiq; canes, & vilia corpora ſcorti,
Ac homicida furens, fuſi qui ſanguinis auctor,
Quique idola colit, vel fraudem verſat in ore,
Atque dolos nectit, procul extra mœnia ſacræ
Vrbis erit, degétque foris, nec limina tanget.

Ipſe

Ipſe ego, Dauidicâ Ieſus de ſtirpe creatus,
Et matutino reſplendens lumine ſidus,
Emiſi Angelicâ proprium de gente Miniſtrum,
Qui teſtaretur diuina oracula cunctis.
Spiritus inuitat, venias, & ſponſa venire
Ipſa iubet; quicunq; audit, ſitientia dicat
Labra, ſitim ſedent, viuæq; è gurgite Lymphæ
Libet aquas qui vult, gratis ſine pondere nummi.
Conteſtor, lecto quicunque volumine libri,
Addiderit quicquam, vano temerarius auſu,
Huic Deus adijciet ſcriptas hoc codice plagas.
Si quis diminuat, vel ſcripto verba libello
Auferet, illius ſacrâ radetur ab vrbe
Nomen, & è vita diſcerpet Ioua libello.
Hæc qui teſtatur, dicit veracia verba,
Aduentus citò noſter erit. Te, Chriſte, precamur
Aduentum accelera, & nos in tua gaudia transfer.
Gratia vobiſcum, ſit Chriſti, ſemper, Ieſu.

Amen.

FINIS.

FINIS.

SERENISSIMI AC NObiliſsimi, Scotiæ, Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Principis, HENRICI STVARDI *Illuſtriſsimi Herois, ac* Mariæ Reginæ ampliſsimæ filij, *Genethliacum.*

A Patricio Adamſono Scoto, Poeta ornatiſsimo *Pariſijs conſcriptum, & ibi*dem Typis audaciùs commiſſum, 25. *Iunij, ſexto à partu die.*

1566.

HONI SOIT QVI MAL Y PENSE
DIEV ET MON DROIT

INCLYTISSIMO, AC

Nobiliſsimo Heroi, Carolo Walliæ Principi, Duci Cornubiæ, &c.

ENETHLIACON iſtud Auguſtiſsimi noſtri Regis, Inclytiſsime princeps, ſtatim ab ipſo partu Pariſijs adoleſcens author conſcripſit, & ſub ijſdem quibus nunc titulis tunc typis audens commiſit viceſimo quinto Iunij, ſalutis noſtæ anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto; ex quo triplicis Coronæ jura paterna fidens aſſeruit, quin etiam pacificam Regnorum coälitionem diuino vaticinio apertè prædixit: at non ſine vitæ & fortunarum magno diſcrimine, qui idcirco arcto carceri commiſſus fuit. Quare quum Genethliacon hoc paternum, ſecunda hac editione limatum, diuino celſitudinis tuæ oraculo fœliciſſimo præuium ſit, Iure tuo tibi vendicas, vt tandem aliquando, fructus vtriuſque efficaces, & vberiores, tempore

ſuo oportuno percipias, & ijſdem in Chriſto Saluatore vti frui poſſis, ad Iehouæ termaximj Gloriam, noſtrum ſolamen, Eccleſiæ deniq; & Reipublicæ ſalutem perpetuam. Vale Princeps optime, veri principis Idæa. Edinoduno pridie Cal. Auguſti.

1617.

Inclytæ Celſitudinis veſtræ

obſeruantiſſimus.

THO. VOLVSENVS.

SERE-

SERENISSIMI AC NOBILISSIMI SCOTIÆ, ANGLIÆ, ET HYBERNIÆ PRINCIPIS,

Genethliacum.

Vale iubar ſolis, campis dum ſurgit eois
Eſſe ſolet, tenebris mortalia
pectora cæcis
Eripiens, Roſeaque illuſtrans
Lampade terras:
Talis viſa tui, Princeps, naſcentis Imago
Scotorum populis: Sic te commendat auorum
Gloria, dum propriis meritis æquabis olympum.
Iamque adeò paſsim grauidis pendebat ariſtis
Alma Ceres, ſteriliſque annj leiunia campos
Liquerunt, Martemque ſimul ciuilibus armis
Ardentem, in pacem rerum conuerterat auctor.
Miramur faciles auras, cœlique ſereni
Propitium numen, poſitoſque è littore fluctus
Aſpicimus, vel nunc ferrj miteſcit in aurum
Durities, redeuntque iterum Saturnia regna:
Aut magnum heroëm venturum in luminis oras
Præſentit Natura parens, qui dicere terris
Iura queat, dubijſque orbem componere rebus.
Sic placuit ſuperis. Genus alto à ſanguine regum
Nympha potens, Scotos Mauortia pectora frænat

Imperio: quondam thalamo ſociata Iugali
Franciſco Regi: Nunc forti pectore, & armis
Magnanimus tenet Henricus: Regumque potentum
Progeniem, Sponſam Regum, Regum eſſe parentem
Dij voluere; Etenim Scotorum fata vetabant,
Quos vis nulla prius, non ipſi euincere ferro
Romani poterant, quæ victis præmia belli
Eſſe ſolent, vnquam externi parere tyranni
Imperio: quippe æternum molimina regni
Dum ſpacium auricomus Titan percurrit olympi,
Et peragit natura vices, ſub gente futuram
Stuarda, & Mariæ Diadema manere nepotes.
Ergo Merlini venit iam carminis ætas,
Qui ſenior, fatique Deum non futilis augur,
Regia nympha, inquit, Gallorum ſoluet ab aruis
Et pelagi permenſa vias, vento que ſecundo
Vecta, Caledonias tandem pertinget ad oras.
Atque illic, virtute patrum fundata reſumet
Sceptra ſibi: multoſque reget fœliciter annos.
Illa virum virgo fœlicem fœdere lecti
Efficiet, ſed plus generoſa prole beabit.
O quantos animos paruæ cunabula molis
Preſſa tegunt? Quum tu firmis adoleueris annis
Parue puer, validis tremefactum claſſibus æquor
Implebis, fineſque tui producere regni
Fata dabunt, donec defuncti Marte Britanni

Addiſcent

Addiſcent vni tandem coaleſcere regno.
Sic cecinit: nec mens illum præſaga fefellit.
Nam ſimul ac Regis nati rumore ſecundo
Fama volans, Regni lætas afflauerat vrbes
Tueda amnis, ſi vera fides memorantibus, ille
Qui liquido noſtros ſecernit limite fines
Parte ſui, attonitus rerum nouitate, putatur
In fontes rediſſe ſuos: Pars altera fertur
Eoo commiſta mari. Tum protinus alueo
Tueda pater ſicco fluuialia numina Nymphas
Affatur. Non has ſuperi regnator Olympi
Perpetuas dederat ſedes, nec littora nobis
Hæc ſemper pulſanda: alio ſub ſole penates
Quærendi, vel quæ hybernis nunc accolit vndis
Vallia, vel quæ defeſſos Cornubia ſoles
Cernit, & occiduum ſeſe protendit in æquor.
Illic fas nobis placidis decurrere lymphis:
Scotorumque iterum noſtris metabimur vndis
Imperium. Nam ſic rerum moderatur habenas
Iuppiter, & ſtabili iuſſerunt numine Parcæ.
Ergo tot monitis Angli cœleſtibus acti
Depoſuere iras animis, ac Regia paſſim
Dona parant; Quicquid fului cumulauerat auri
Regibus Anglorum, ſubiectis Gallia rebus:
Et quæcunque auri peregrinis eruta venis
Pondera, & Eoæ varios telluris honores,

Ignotas olim Pelagi quæsita per vndas
Hispanæ intulerant tedæ. En qui proxima regni
Lora tenent proceres, fatis tibi debita diuûm
Et sceptrum & Diadema ferunt: Sat sanguinis illos
Pertæsum externi. Numerosi Saxonis armis
Libertas oppressa olim: Normannia pœnas
Satque superque etiam truculento Marte popoſcit.
At tibi quem pariter vitreis enutriet vlnis
Alma Thetis, Regni æternos submittere fasces
Gaudent, & solum, cathedræ fatalis honore
Dignantur. Hos tu placido complectere vultu
Parue puer, caræ quo gaudes oscula matri
Iungere, & è mammis stillans educere nectar.
Neue animo veteris subeant discrimina belli
Mortalésque inimicitiæ, multóque tuorum
Martis opus crudele, vndantes sanguine campi.
Non illis impune fuit. Gens ardua bello,
Viuida quid possit Scotorum in prælia virtus
Senſere, & largo saturarunt sanguine manes.
Sat Marti, belloque datum: nunc fœdera pacis
Lætus ini, ac Regnis tandem prælate Britannis,
Scotum Anglumue tibi nullo discrimine habeto.
Dumque hæc cura tenet diuisos orbe Britannos,
Ecce oratores iam læta Subaudia donis
Instruit: & Galli delectæ corpora pubis
Expediunt comiti quo nec præsentior vllus
Consilio, aut fuluis quisquam conspectior armis.

Quid

Quid memorem gemmas, pretioſaquè dona metalli,
Quas Tagus, & diues voluit Pactolus arenas?
Quidue Dioneæ referam velamina telæ,
Obductaſque auro veſtes, ſerpentiaque oris
Fila auri, & Phrygio diſtinctas pollice lanas?
Qualia ſi quondam infælix feciſſet Arachne,
Pallas vel ſeſe dixiſſet iudice victam.
Ergo illos poſtquam Regali Regia luxu
Accipiet, claris maiorum ornata triumphis,
Galli oratores, antiquæ fœdera pacis
Sub Carolo percuſſa petent. Ne ſperne rogantes,
Neue illis metuas dextram coniungere dextræ.
Noſtra illos iuuit virtus, ſenſitque paratum
Non ſemel auxilium labefactis Gallia rebus.
Illa memor ſi fortè hoſtes periuria gentis
Sollicitent, nec ius, nec fas, nec numina curent,
Spectatas vires, atque auxiliaria iunget
Arma tibi, vt citius poſſis frænare rebelles.
Iamque vbi tu cæſa firmaris fœdera porcâ,
Mortales abeant curæ, cæleſtia ſolùm
Volue animo: Tum te purâ baptiſmatis vndâ
Suſcipient Proceres, vt ſacri ſanguine fontis
Ablutus, priſcique exutus labe parentis,
Syncera pietate Deum, ceu dogmata verbi
Sacra docent, puræque colas veſtigia vitæ.
Carpe ergo virtutis iter, fœcunda miniſtrant

Maiores exempla tui. Iam facta parentis
Cerne oculis, quam sit Diuinæ munere formæ
Prædita, quàm pulchræ fulgent in corpore dotes:
Quàm non mortalis vultus sub Iudice formæ
Priamida, inuisos pomi cepisset honores.
Præcipuè, quàm sit generoso pectore, quamque
Regia, quàm casti cingant præcordia mores:
Quàm sit cara suis, quàm iuste, & legibus æquis
Temperet Imperium, ac regni moderetur habenas.
Hæc tibi sint primis, ô Rex excelse, sub annis
Ætatis primæua tuæ. Nunc imbue pectus
Nectare cœlesti. Nam postquàm adoleueris, arma,
Arma tibi capienda, quibus proh tempora, clade
Ciuili, iam dextra rubet, Tu cæde madentes
Infanda, optata Turcorum strage piabis.
Ille, tuis atauus Lotarena ex gente, tyrannus
Marte furens, regnum Solymæ populatus opimæ
Abstulit & totum regni ius ponit in armis.
Sed quid ego tandem tecum priuata recordor?
Nonne vides, totum quantis terroribus orbem
Concutit, vt Christum sceleratis obruat armis?
Non illum æratæ turres, non mænia cœlo
Edicta, aut largo fluitantes æquore fossæ
Arcere, aut tantum possunt cohibere furorem.
Scilicet illi aquilæ cedunt, & lilia forsan
Æqua nimis, varijsque audax Hispania signis,

Surgentem

Surgentem poterit ne Iubis perferre Leonem?
Vtque vnum possit, Nunquid quos Martia gignit
Scotia, tot vim posse putas tollerare leonum?
Illa quidem, longo collapsis tempore rebus
Imperij, & Franci in Gallos crescentibus armis,
Et dum barbaries domitos oppressit Iberos,
Et dum præda fuit peregrinis Anglia terris,
Mutaretque suas nimium Germania sedes,
Incolumi stetit imperio, regnata per annos
Mille octingentos. Sed non sine numine diuum:
Vt regnum antiquum, teque inuiolata tuorum
Maiorum series rectorem educeret orbi.
Interea dum nos speratæ gloria laudis
Læta manet, Regis nostri celebremus ouantes
Natalem, quo non illuxit pulchrior, ex quo
Leucothoes niueo Titan accensus amore
Oceani totis sese perlauerat vndis.
Ergo iam festâ velentur fronde per vrbes,
Et cuncti ducant choreas, & carmina dicant,
Sistra sonent, Lunamque vetent deducere cælo.
Quòd si non frustra ludit mihi pectus Apollo,
Atque aliquid nostræ possunt in carmine vires,
Seu latio aut graio mauis te carmine dici,
Tum mea Stuardas laudes, & facta per orbem
Musa ferens, postquam memori sacrauerit æuo,
Forsitan arctoïum dicent me secula vatem.

CATECHISMVS LATINO CARMINE REDDITVS, ET IN LIBROS QVATVOR DIGESTVS,

Patricij Adamſoni Scoti, poetæ elegantiſſimi opera, atque induſtria:

**
*

AC NVNC DENVO PER THOMAM VOLVSENVM RECOGnitus & expolitus.

LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM.
Anno 1618.

IACOBI LAVSONII CARMEN.

SOL & Adamsonus perfundunt luce coruſca
Æquor, tellurem, ſidereúmque polum.
Ignita Phœbus, perluſtrans lampade terras,
Vmbras corporibus pellit, at ille animis.
Ergo mare & tellus, & quas tenet igneus orbis
Cæleſtes animæ, & numina ſumma poli.
Iam gaudete nouum vobis luceſſere ſolem,
Quodque duos ſoles quos ferat orbis habet.

Roberti Pontani Carmen in Catechiſmum.

INuentis facilè eſſe ferunt ſuperadderè, rerum &
Fundamenta ſemel iacta labore ſequi.
Vtilis illa tamen ſæpe eſt induſtria, notum
Præſertim ſplendor ſi nouus ornat opus.
Ecce Catechæſis, primus quam prodidit auctor
CALVINVS, ſacro magnus in eloquio.
Hanc Methodum ante alias, veræ pietatis amantum
Concio Chriſtiadum publica, iure probat.
Hinc varijs variè viſum eſt traducere, Græcè,
Hebraicè, linguis innumeríſque alijs.

Hoc ex parte etiam tentarunt carmine fratres,
Atque ego perfectè iam prope finieram.
Vidit PATRICIVS *cum Constantinus, opellæ*
Admouítque manum noster ADAMSONIVS,
Omnia qui melius percurrens, penè retexit:
Non inuita dedit cui mea musa locum.
Quicquid id est operæ, docilis pietate iuuentus,
Et nos, & studijs dedicat ille tuis.

DE EODEM.

CVncti olim vates Scotto cessere poetæ,
Scottia nunc palmam præripit ipsa sibi.

SERE.

SERENISSIMO PRINCIPI, IACOBO SEXTO SCOTORVM REGI INVICTISSIMO.

SCRIBIT Iosephus, Mosis parentes ex infantis forma coniecturam fecisse, liberatorem eum populi futurum, eamque ob caussam præceptum tyranni violasse. Id vt à vero alienum non putem, faciunt reliquarum gentium Historiæ, quæ in summis viris insignia virtutum seminaria, statim ab ipsis natalibus eluxisse testantur. Atqui vt raræ in nonulliis dotes fuerint, id tamen verè affirmare possim, neminem neq; nostrâ, neq; patrum nostrorum memoria extitisse, ex cuius indole tanta spes Scotiæ nostræ, atq; adeo toti Britanniæ iamdiu afflictæ ac periclitanti affulserit. Certè qui Maiestati tuæ assistunt, facile vident nullam esse virtutem principe dignam, nihil à Iulio Polluce in præclara illa ad Commodum Cæsarem adhortatione in Rege desiderari, cuius viua effigies in herbescente ista tua viriditate non suppullulet. Accedit tam ingenua, & liberalis educatio, vt talpa sit cæcior, qui te salutare sydus huic insulæ exortum esse, non prospexerit: In qua ornanda, tametsi præceptores nactus sis multò eruditissimos, ego tamen auctor esse velim eis qui ingenio & doctrina nonnihil valent, vt certatim industriam suam ad eam promouendam conferant. Certè, is mihi scopus fuit, vt cum, ex Fabij præcepto, pueri tenerum os, à poeta figurandum sit, haberes pietatis rudimenta Latino carmine, quæ Maiestatis tuæ vocem tenellam Deo consecrarent: iuuentusq; te præunte salutaria hæc seminaria imbiberet. Neq; verò mihi multum in hoc scribendi genere tribuo, qui in hac arena iamdudum sim antiquarius, præsertim in hoc opere, quem mense vno perduxi ad vmbilicum. Scripsi quidem in Gallia in ipso belli ciuilis furore, in cænaculo

apud hoſpitem Biturigenſem, quotidiano vitæ periculo ſeptem Menſes deliteſcens, Iobum, & tragœdiam illius Herodis qui ab Angelo percuſſus teterrimè expirauit, miſique Lugdunum ad Rouillium, ſub M. Iacobi Macgillei, Senatoris tui prudentiſsimi, & mæcenatis mei beneficentiſsimi nomine, ex quibus coniecturam facient eruditi, ſi grauiora ſtudia me non abſtraxiſſent, potuiſſe nonnullam in eo genere laudem conſectari: verùm quantum ciuili ſcientiæ, & ſacrarum literarum ſtudijs impenderim nunquam me penitebit. Nunc equidem habeo in manibus ſex de Politia Moſaica libros proſa oratione, ex quibus vtrumq́, ni fallor, eleuceſcet: Eorum partem iure ſibi vendicabit vir omni laude maior Robertus Pitcarnius, Abbas Dunfermelenſis, tuæ Maieſtati à ſecretis, qui me indies nouis beneficijs, non alio quam literarum amore, ornare ſtudet. Certè id mihi ſemper curæ erit, vt tuæ Maieſtati quam enixiſsimè inſeruiam, Chriſtiq́, Eccleſiæ, cui me totum conſecraui, operam atq́, induſtriam meam probem. Deus Maieſtatem tuam diu ſeruet Regno, & Eccleſiæ incolumem. Vale, Sanctiandreæ

15. Calend. Mar.

1572.

Tuæ Maieſtatis obſeruantiſſimus

PATRICIVS ADAMSONVS.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

CATECHÆSIN hanc, κατήχησιν τῆς πίστεως complectentem, Ecclesiæ bono, in pietatis studiosorum gratiam, Latino carmine redditam, In Scotia adolescens author conscripsit, & quadraginta quinque ab hinc annis, Augustissimo nostro Regi, ab infantia dicauit; vt ex Fabij præcepto tenerum pueri os, à poeta figurandum, haberet etiam Maiestas Regia pietatis rudimenta sic edita, quæ Maiestatis suæ vocem tenellam Deo consecrarent, Iuuentusque eâdem præeunte, salutaria hæc seminaria imbiberet. Quæ, quum pietatis etiam studiosis, non solum apprimè vtilia, verùm etiam Christianæ iuuentuti perneccessaria censeantur, vt multorum seriò instantibus votis satisfacerem; Ex re studiosorum visum est, eadem nunc rariora ac studiosis inprimis desiderata, typis denuò mandare, & fe-

apud hoſpitem Biturigenſem, quotidiano vitæ periculo ſeptem Menſes deliteſcens, Iobum, & tragœdiam illius Herodis qui ab Angelo percuſſus teterrimè expirauit, miſique Lugdunum ad Rouillium, ſub M. Iacobi Macgillei, Senatoris tui prudentiſsimi, & mæcenatis mei beneficentiſsimi nomine, ex quibus coniecturam facient eruditi, ſi grauiora ſtudia me non abſtraxiſſent, potuiſſe nonnullam in eo genere laudem conſectari: verùm quantum ciuili ſcientiæ, & ſacrarum literarum ſtudijs impenderim nunquam me penitebit. Nunc equidem habeo in manibus ſex de Politia Moſaica libros proſa oratione, ex quibus vtrumq;, ni fallor, eleuceſcet: Eorum partem iure ſibi vendicabit vir omni laude maior Robertus Pitcarnius, Abbas Dunfermelenſis, tuæ Maieſtati à ſecretis, qui me indies nouis beneficijs, non alio quam literarum amore, ornare ſtudet. Certè id mihi ſemper curæ erit, vt tuæ Maieſtati quam enixiſsimè inſeruiam, Chriſtiq; Eccleſiæ, cui me totum conſecraui, operam atq; induſtriam meam probem. Deus Maieſtatem tuam diu ſeruet Regno, & Eccleſiæ incolumem. Vale, Sanctiandreæ

15. Calend. Mar.

1572.

Tuæ Maieſtatis obſeruantiſſimus

PATRICIVS ADAMSONVS.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

CATECHÆSIN hanc, κατήχησιν τῆς πίστεως complectentem, Eccleſiæ bono, in pietatis ſtudioſorum gratiam, Latino carmine redditam, In Scotia adoleſcens author conſcripſit, & quadraginta quinque ab hinc annis, Auguſtiſſimo noſtro Regi, ab infantia dicauit; vt ex Fabij præcepto tenerum pueri os, à poeta figurandum, haberet etiam Maieſtas Regia pietatis rudimenta ſic edita, quæ Maieſtatis ſuæ vocem tenellam Deo conſecrarent, Iuuentuſque eâdem præeunte, ſalutaria hæc ſeminaria imbiberet. Quæ, quum pietatis etiam ſtudioſis, non ſolum apprimè vtilia, verùm etiam Chriſtianæ iuuentuti perneceſſaria cenſeantur, vt multorum ſeriò inſtantibus votis ſatiſfacerem; Ex re ſtudioſorum viſum eſt, eadem nunc rariora ac ſtudioſis inprimis deſiderata, typis denuò mandare, & ſe-

cunda hac editione, multò iam eastigatiore emitttere, vt ijsdem in CHRISTO Saluatore nostro, vti frui possit studiosa Iuuentus. Vale pie Lector; & quæ simplicium causa, simplicius scripta sunt, quo decet candore animi lege. Edinoduno, pridie Calend. Augusti.

1617.

Tui studiosissimus

THO. VOLVSENVS.

CATE-

CATECHISMI
LIBER PRIMVS
De fide, Latino carmine redditi,
Patricio Adamsono Scoto Poeta
elegantißimo Auctore.

DOMINICA I.

MINISTER.

QVæ vitæ humanæ prima eſt, ac vltima me-
PVER. (ta?
Noſſe Deum. M. Cur noſſe Deum?
P. Quia conditor ipſe eſt
Humani generis, noſque hac pater optimus alma.
Luce frui voluit, ſeſe vt fontemque, caputque,
Et vitæ auctorem digno obſeruemus honore.
M. Quanam ergo fiunt homines ratione beati?
P. Si Dominum agnoſcant, eius ſi gloria pectus
Occupet, ac toto vitæ reſplendeat vſu.
M. Cur quæſo hic vitæ ſtatuis momenta beatæ?
P. Namque his ſublatis brutis animantibus eſſet
Sors hominis miſeranda magis. M. Qui numinis ergo
Ignarus viuit, nil deploratius illo
Eſſe poteſt. P. Equidem vt dicis certiſsima res eſt.
M. Quænam cognitio verè eſt germana tonantis?

P. *Quum ſic nouerimus diuinum numen, vt illi*
Sedulò præſtemus qualem debemus honorem.
M. *Quænam recta via eſt venerandi numinis, atque*
Quas habeat partes ediſſere, & ordine perge.
P. *Prima eſt, vt ſoli fiducia noſtra tonanti*
Incubet: vt recto legis ſub tramite, quiſque
Dirigat hoc vitæ ſtadium, pars altera rebus
Suppetias petere afflictis, dominique potentis
Temporibus dubijs, certam implorare ſalutem,
Tertia: poſtremo vt non ſolum pectore ab imo
Nouerimus, fontem à Domino manare perennem
Totius ſine fine boni, confeſsio laudis
Accedat: Studiumque almi teſtetur olympi.

DOMINICA. II.

M. *Macte eſto: verum membra vt per ſingula porro*
Progrediar, tu quod primũ eſt puer ordine pande.
P. *Nimirum, vt ſoli fiducia noſtra tonanti*
Incubet. M. *Id quanam fieri ratione putandum eſt?*
P. *Seſe quum bonitas, & celſa potentia nobis*
Inſinuant, ſummeque bonum, ſummeque potentem
Nouimus. M. *An nil præterea nouiſſe neceſſe eſt?*
P. *Plane inquã. Nec enim cauſſa eſt cur maximus ille*
Ferret opem generi impuro, mundoque rebelli
Explorata Dei bonitas foret: Amplius ergo
Poſcimus,

Poſcimus, vt quiſque hoc perſuaſum mente reponat,
Se carum, acceptumque Deo, qui munia patris
Impleat, exitioque velit ſeruare fideles.
M. *Quinam id conſtabit?* P. *Sacri me oracula verbi*
Erudiunt, læſi pacatas numinis iras
Innocuis nati meritis, patremque benignum
Conſtitui, & pleno bonitatem effundere cornu.
M. *Ergo Deo niti qui vult, addicere Chriſto*
Se debet, patremque in caro agnoſcere nato.
P. *Omnino.* M. *Verum quæ ſumma eſt cognitionis,*
Illa Dei in Chriſto, paucis complectere, amabo.
P. *Symbolum Apoſtolicum eſt, ab eorum nomine dictum*
Chriſticolis, puris ſcripturæ è fontibus hauſtum,
Articulos fidei amplectens, hæc formula nobis
Expediet quæcunque pios ſperare neceſſe eſt.
M. *Quin edis noſtræ paucis quæ eſt ſumma ſalutis.*

¶ Symbolum Apoſtolorum, ſeu Articuli Fidei.

P. *IN ſummum confido Deum Patrem omnipotentem,*
Auctorem Cœli, & terræ. Chriſtumq; in Ieſum,
Vnigenam illius ſobolem, dominumque piorum.
Qui ſacro conceptus erat ſpiramine, natus
Virginis ex vtero Mariæ. Tormenta Pilato
Iudice perpeſſus, crucifixus, mortuus, atque
Clauſus humo, triſtes Erebi deſcendit ad vmbras.
Luce reſurrexit terna rediuiuus, ad alti

Tecta poli ascendit victor: dextræque parentis
Assidet, in Cœlo, & terra cui cuncta potestas.
Inde olim adueniet cunctos vt iudicet, & qui
Viuent, & quotquot tam longa absorbuit ætas.
¶ Confido in sacrum flamen, sparsumque fidelem
In terris cœtum credo, & communia dona
Sanctorum, gratisque illis peccata remitti:
Experrecturam putri de puluere carnem
Spero, ac in cœlis vitam sine fine beatam.

DOMINICA. III.

M. *VT lucem admoueas rebus quot formula partes*
Ista capit? P. *Bis tota duas, quas ordine texam.*
Prima Deum Patrem spectat pars, altera Iesum
Christum solum eius natum, nostræque salutis
Historiam pauco contentam carmine claudit.
Tertia de sacro tractat spiramine: Quarta
Dona Dei in cœtum censet, quæ Ecclesia dicta est.
M. *Cur tribus es patris, nati, & spiraminis vsus*
Nominibus, quum verè vnus simplexque Deus sit?
P. *Sunt in natura Iehouæ tria perpendenda.*
Nanque Pater rerum est auctor, cui fabrica tota
Esse suum debet, patris sapientia natus
Expers principij: vis atque potentia patris
Spiritus ille sacer, molem qui temperat orbis

Cuncta

Cuncta fouens, in se constans plenissimus uno.
M. *Ergo Dei uis in natura simplici, & una,*
Personas tres esse, nec unam diuidi ab illa
Naturam triade, ac unum consistere terno. (tem?
P. *Hoc ipsum.* M. *Primam formæ complectere par-*
P. *In summum confido Deum Patrem omnipotentem,*
Auctorem Cœli & terræ. M. *Cur nomine Patris*
Appellas? P. *Christi haud dubie intuitu, ac ratione.*
Ille Dei uerbum æternum, ac ante omnia mundi
Sæcula progenitum, soboles suprema tonantis
Paruit in carne hac nostra, generique salutem
Attulit humano. Deus hinc ter maximus ille
Si seruatoris pater est, nostrum esse necesse est.
M. *Quid uult omnipotens?* P. *Non quòd sine fine po-*
Deliteat cœlis, sed quæ moderamine iusto (testas
Temperet hunc orbem, ut nutum tremefacta sequantur
Aequoraque, & terræ, & conuexi pondus Olympi.
M. *Ergo id uis. Deus ille potens non otia secum*
Pigra colit, Sed mundi huius moderatur habenas
Imperio, totumque regit liberrimus axem.
P. *Vera istæc.*

DOMINICA. IIII.

M. *Sed cur Cœli, terræque parentem* (patris
Auctoremq; uocas? P. *Nanque hoc se gloria*

Insinuat pacto. Tanta ad mysteria noster
Sensus hebet, languetque animus, nisi fabrica mundi
Exprimeret, tanquam in speculo quod scire necesse est.
M. *Quid cœlo, & terra includis, Num cuncta creata?*
P. *Cuncta equidem. Nanq; aut terrena mole grauantur*
Omnia, vel liquidum sese super æthera tollunt.
M. *Cur solum auctorem vocitas, moderaminis expers*
Num sedet, aut mundi fessas abiecit habenas?
P. *Absit. Nanque istæc se semper lege sequuntur*
Continua. Nam quod primi sub tempora mundi
Finxit opus, dextra stabili, curaque tuetur
Perpetua: Nec enim mundi subsistere moles
Momento posset, ni vires maximus auctor
Sufficeret: Deus ille idem seruatque, regitque,
Imperio, & bonitate orbem, qui condidit: illi
Naturæ obsequitur studium, pluuiæque monenti
Dant gemitus, feruet Cœlum, stridentque procellis
Æquora, mox venti ponunt, Ieiunia campos
Dira premunt, fruges tellus fœcunda ministrat.
Et modo dat vegeto validas in corpore vires:
Mox ægro virtus sublapsa in pectore languet.
Quid multis? Cernis ne auctori vt fabrica tota
Militet, ac domino supplex obtemperet vni.
M. *An vero inferni cœtus, & sontica turba*
Imperium agnoscunt? P. *Quamuis spiramine sacro*
Abstinet impuros, duris tamen ora lupatis

Inijcit,

Inijcit, vt ſine ſe nihil vnquam auctore capeſſant
Conſilij, factiue: ſed & nolentibus illis
Imperat, arcani flectens moderamine fræni.
M. *Quorſum hæc ſcire iuuat?* P. *Magni ſolaminis inſtar.*
O infortunatum hominem ſi cæca libido
Satanæ abriperet! Nuſquam ſecura quietem
Mens caperet: Verum duris religata cathenis,
Nil audet ſine permiſſu, imperioque tonantis:
Cui ſumus addicti, inque clientelamque, fidemque.
Hæc res ſolatur miſeros, placidamque quietem
Impertit ſanctorum animis, & gaudia nutrit.

DOMINICA V.

M. *QVæ pars continuò ſequitur?* P. *Chriſtumq; in Ie-*
(ſum
VNigenam patris. M. *Quid quæſo vult ſibi pars*
(hæc?
P. *Nimirum natum patris peperiſſe ſalutem*
Humano generi, quaque id ratione peractum eſt.
M. *At peregrinum illud quid vult ſibi nomen Ieſus?*
P. *Sotera appellant græci, nos voce latina*
Paupertas linguæ prohibet, ſed latius illum
Seruatorem appellamus, Quod nominis illi
Angelus impoſuit, Domini præcepta ſequutus.
M. *Hiccine momenti eſt aliquid?* P. *vel maxima certe*
Cauſſa ſubeſt. Nec enim nati nos nomine ludit
Omnipotens, voluitque illud veræ eſſe ſalutis

Indicium, nomen quod ſeſe auctore recepit.
M. *Quid Chriſti nomen?* P. *Totum in ſe amplectitur*
Officium, nimirum à caro vnctum eſſe parente (*eius*
In munus regale, ſacerdotale, prophetæ.
M. *Quinam id nouiſti?* P. *Sacri me oracula verbi*
Erudiunt, tres eſſe illos quibus vnctio quondam
Competeret, Chriſtus quorum omnia munia complet.
M. *Sed quale hoc chriſma eſt?* P. *Non quod ſub fæ-* (*dere quondã*
Patribus antiquo fuerat, ſed gratia pleno
Diffuſa in Chriſtum cornu, à ſpiramine ſacro.
M. *Quid? quale eſt regnũ?* P. *Non his terreſtribus vlla*
Ex parte affine eſt: verboque, & flamine ſacro
Conſtat, iuſticiæ ſtudium, & noua gaudia vitæ
Continet æternæ, cœli quæ in ſede repoſta eſt.
M. *Quale ſacerdotis munus?* P. *Se ſiſtere coram*
Patre hominum cauſſa, nobis vt reddere poſsit
Propitium. Quid? Quod Chriſtu' ipſe eſt victima quæ
Conciliet, caro à ſeſe ipſo oblata parenti? (*nos*
M. *Cur vatem appellas?* P. *Nobis quia cælitus ipſe*
Legatus patris acceſsit, mentemque parentis
Integram expoſuit mundo, finemque prophetis
Attulit, atque ſibi monet auſcultarier vni.

DOMINCA. VI.

M. *Quidnam iſtæc ad nos?* P. *Chriſtus ſua dona fideli*
Largitur populo, quæque ipſe à patre recepit
Participes

Participes ſua membra facit. M. *Quin planius iſta?*

P. *Ille ſacro affatim perfuſus pneumate, nobis*
Impertit quantum ſatis eſt, doteſque miniſtrat
Cuique ſuas, illo ſolum de fonte petenda eſt
Viua ſalus, & quæ ſunt ſpiritualia dona.

M. *Commoda quæ regno tribuis?* P *Mens libera ſeſe*
Iuſticiæ addicit ſtudio, & virtute ſupremi
Fulta Dei, Satanæ aſtum carniſque rebelles
Illecebras, mundique huius blandimina vincit,
Terribiles animi peſtes, mutuendaque monſtra.

M. *Fare ſacerdoti vires?* P. *Cum nomine noſtro*
Se mediatorem præbet, patremque benignum
Conciliat, certe ad Dominum tutiſſima nobis
Facta via eſt, vt quiſque illum ſpe plenus adire
Poſſit, ſeque ipſum, quæ eſt caſta oblatio, patri
Immolet, ac ſua cuncta eius conſecret honori.

M. *Reſtat quid nobis profit Chriſtum eſſe prophetam.*

P. *Paſtoris Chriſtum, & doctoris munere fungi*
Cum dico, id ſequitur. Cæleſtis dogmata verbi
Sub ferula diſcenda eius, tantique magiſtri
Diſcipulos, ſemper caput ad cæleſtia rectum
Tollere, nec vani curis torpeſcere mundi.

M. *Num recte aſſumo? Chriſti tria munera nomen*
Continet, illa parens proli conceſsit amatæ,
Vt caput in proprios dona hæc diffunderet artus.

P. *Perſpicue.*

DOMINICA. VII.

M. Sed cur dicis Christum esse parentis
Vnigenam, qui nos natorum nomine censet?
P. Non id naturæ est munus, nam nascimur iræ
Progenies, sed nos patris clementia adoptat
Gratuito in natos. Christus sibi vendicat illud
Naturæ proprium, ex patria substantia, at expers
Principij genitus, proles verè vna parentis.
M. Vis ne hoc naturæ solius iure in Iesum
Competere, ac nobis eius simus quia membra?
P. Omnino: & quoniam nos hoc dignatur honore,
E multis primo prognatus fratribus esse
Dicitur à Paulo verbi præcone fideli.
M. Cur Dominũ appellas nostrum? P. Terræque, poliq;
Imperium à patre obtinuit, rebusque creatis
Præsidet, angelicas mentes, humanaque corda
Dirigit, & totum naturæ temperat axem.
M. Quid sequitur? P. Quo pacto vnctus spiramine
Seruator nobis fuerit, sumptaque figura (natus
Serui, opus exegit nostræ sub carne salutis.
M, Quidnam illud sacro conceptum ex flamine, natum
Intacta ex Maria? P. Certe, genitricis in aluo
Formatum, natura humana ex Virgine sumpta,
Dauidis vt magni nobis de semine Christus

Esset,

Eſset, ſanctorum vt pandunt oracula vatum.
Nullæ hic ſunt ſponſi partes, myſteria tanta
Sacrum obijt flamen. M. *Sed quid veſtimine noſtræ*
Carnis opus? P. *Scelus humana ſub carne patratum,*
Æquum erat vt Chriſtus noſtra ſub carne piaret.
Nec vero Chriſtus mediator iungere patri
Nos poſſet, niſi naturæ communio adeſset.
M. *Ergo ſalutifero defungi vt munere poſſet*
Factus homo eſt? P. *Plane, nobis nam mutua cuncta*
Ex eius ſumenda penu. Nec triſtis egeſtas
Depelli, niſi theſauro tam diuite poſset.
M. *Sed quorſum hæc per pneuma ſacrum, non more ſueto*
Naturæ? P. *Ne quà Chriſti contagio corpus*
Pollueret, Nihil humano de ſemine cretum
Labe caret, primique omnes peccata parentis
Promeriti luimus. M. *Vindex noſtræ ergo ſalutis*
Immunis ſceleris, culpæque, & criminis expers
Eſſe omnis, matriſque Deo ſacratus ab aluo
Debuit, & noſtri labem ignoraſſe reatus.
P. *Sanè inquam.*

DOMINICA. VIII.

M. *SEd cur poſt partum mentio mortis*
Continua, & totus vitæ obliui ſcitur ordo?
P. *Nimirum hic nihil eſt, niſi fundamenta ſalutis*

Præcipua. M. *Hic Ponti cur ergo eſt facta Pilati*
Mentio, Num noſtræ ſeruit vox iſta ſaluti?
P. *Hiſtoriæ ſeriem veram vox iudicis eſſe*
Arguit, & paſſum Romano præſide ſignat.
Tum Chriſtus ſolium terreni iudicis ante
Damnari voluit, nos vt patris ante tribunal
Solueret, ac noxæ ſeſe ſupponeret omni.
M. *Atque illum, magna vulgi auſcultante corona,*
Innocuum vera teſtatur voce Pilatus.
P. *Vtrunque admiſit. Sed non ſine numine iudex*
Sic titubat: culpæ expertem pronunciat eſſe,
Vt noſtri ſolum pœnas ſubijſſe reatus
Sgnificet. Sed mox idem ſolenniter illum
Addicit morti, quo ſponſorem eſſe ſalutis
Indicet humanæ, noſtro qui nomine pœnas
Pertulit, & plena iam libertate beauit.
M. *Egregiè. Nam ſi ſceleris, ſub labe fuiſſet,*
Qui ferat auxilium miſeris pro ſonte neceſſe
Cenſeri fuit, innocuos vt reddere poſſit
Quicunque in ſe plena ſpeque fideque recumbunt.
P. *Sic habet.*

DOMINICA. IX.

M. *ANpatuli ſuſpenſum in ſtipite ligni*
Momentum quoduis habuit? P. *Sententia diui*
Expediet

Expediet Pauli, crucifixum vt se Patris iræ
Subijceret, factus nostri execratio caussa:
Deuotum genus hoc & detestabile cunctis
Mortis erat, docet vt repetitæ sanctio legis.
M. *Hoccine dedecori est Christo?* P. *Nil laudibus eius*
Imminuit quicquam. Namque hæc dum nomine nostro
Perpetitur, virtute eius maledictio facta est
Irrita, non illi quicquam de sorte beata
Decidit, & soboles patri dilecta remansit.
M. *Quid sequitur?* P. *Quoniam peccati præmia morte*
Pendimus, hanc subijt Christus, victor que triumpho
Duxit. Neue isthæc mortis simulata putetur
Effigies, tumulo est communi more sepultus.
M. *Quidnam isthæc ad nos? Christus certamine mortem*
Strauerit, iccirco ne suum cessamus obire
Quisq; diem, ac fati communem insistere legem?
P. *Non obstat. Mors nanq, pijs ad cælica regna*
Pandit iter, carnisq; statim compage soluta
Carpimus æternæ læti noua gaudia vitæ.
M. *Non igitur vanâ trepidant formidine mortis*
Christicolæ: Dux ille acri de morte trophæum
Rettulit, àque eius credentes vendicat armis.
P. *Certa adfers. Nam nos Christi victoria letho*
Eripiet, statuetq, æterna in sede salutis.

DOMINICA. X.

M. *Quid sibi vult, tristes Erebi descendit ad vmbras,*
Infernasq; adijt sedes? P. *Hæc clausula nobis*
Innuit, hunc diræ fregisse repagula mortis,
Tartaraq; aggressum, domito retulisse triumphum
Inferno, & Satana victo, vinctoq; superbum
Nequicquam tetri Furijs frendentibus Orci,
Victorem spolijs redijsse hunc constat opimis.
M. *Sed cur attonitus mortem subiturus & Orcum*
Substiterat Christus? P. *Quoniam Patris ante tribunal*
Pro nobis pœnas luit, hoc terrore necesse est
Afflictum trepidasse animi, ac si conscius esset
Humani sceleris, hostisq; horresceret iras;
Hinc illud. Deus, alme Deus, cur tempore in isto
Linquis, & extremo natum sic deseris actu?
Atq; hinc Isaiæ affirmant oracula vatis,
Percussum dextrâ patriâ, & pro crimine nostro
Immeritum, pœnasquè dedisse ac vulnera passum.
M. *Quî poterat de diuino dubitare fauore*
Ipse Deus. P. *Christus tanto discrimine sese*
Verè hominem monstrat: Deitas occulta latebat,
Atq; sequestrauit tacitas pro tempore vires
Quas subitò exeruit, victis quicunq; fremebant
Hostibus, incolumi victore per omnia Christo.

M. *Hinc*

M. *Hinc ergo in promptu est, quãto discrimine Christus*
Differat impuris, sæui qui ad iudicis iras
Occlusere aditus animi, Stygioq; tenentur
Carcere conclusi: namq; istic tempore paruo
Conflixit Christus, Satanamq;, Orcumq;, triumphans
Perdomuit victor, verùm illos tormina vexant
Perpetua, & nusquam furijs ardentibus expers
Fax animi. Christus primo quæ protinus ictu
Reppulit, ast illos — lethali vulnere perdunt
Sulphureis vstos flammis, fornace perenni.
P. *Vera quidem, ac Patrem semper fidenter amatum*
Inuocat. At nequam soboles spem protinus omnem
Abijciunt, reboantq; polo execrantia verba.

DOMINICA. XI.

M. *NVnc quæso in summam confer, quæ cõmoda Christi*
Mors peperit? P. *Caro primùm est oblata parenti*
Victima pro sonti mundo, Patremque benignum
Reddidit, & sceleris nostri delicta piauit:
Deinde etiam in Christi cunctis est morte lauacrum
Propositum, quo vitæ omnis contagio nostræ
Eluitur: Demùm, sceleris nos nullius vsquam
Arguet: inducta est sic alta obliuio Patri
Pacato Christi merito, & nece suauiolente.
M. *Estne alia vtilitas?* P. *Sane, si ex corpore Christi*

Membra sumus, vetus in nobis crucifigitur Adam,
Carnisq; exuimur sordes, ne cæca libido
Imperet, aut mentem sceleratis polluat actis.
M. *Quid sequitur?* P. *Terna rediuiuum luce fuisse*
Subq, iugum misisse necem, domitasque furentis
Peccati vires, duras soluisse catenas
Satanæ, ac Orcum captum abduxisse triumpho.
M. *Confert ne hoc nobis?* P. *Equidem. Nam protinus*
Iustitiæ asserimur: Certo pro pignore seruit (*inde*
Vitæ immortalis: demum quos munere tanto
Participat nouitas vitæ, ac mutata voluntas
Dirigit, egregium mandati insistere callem.

DOMINICA. XII.

M. *Pergе puer.* P. *Celsum victor conscendit Olympũ.*
M. *Siccine Seruator sese in sublime recepit,*
Cesserit omnino vt terris? P. *Nil certius, omni*
Mandato functus patrio, humanaque salute,
Quorsum his momento solo consisteret oris?
M. *Quænam hinc vtilitas?* P. *Cœli nunc celsa patere*
Atria peccato primi obfirmata parentis.
Quinetiam Patri solum apparere patronum
Interea, & semper nostra intercedere causſa.
M. *Num sic in cœlo est nobiscum vt desinat esse?*
P. *Nequaquam, fore se semper dum sæcula constent*

Cum

Cum fido asseruit populo: sed corpore tantùm
Cælicola est, virtus mundam latissima complet. (tis?
M. *Quid sibi vult, sedet ad dextram Patris omnipoten-*
P. *Formula, vulgata de consuetudine sumpta est:*
Nanq, hic solennis, proceres qui proxima sceptri
Lora tenent, mos est, regali adiungere dextræ.
M. *Hoccine diuus ait verbi sacra buccina Paulus,*
In caput elatum populo Christum esse fideli,
Largitamq; potestatem, nomenquè, decusquè
Egregium, ac laudes quas non communicet vlli.
P. *Rem tangis.*

DOMINICA. XIII.

M. *QVin nunc rectà te ad proxima confers?*
P. *Inde olim adueniet cunctos vt iudicet, & qui*
Viuent, & quotquot tam longa absorbuit ætas.
Nam veluti in Cœlum quondam spectantibus iuit
Discipulis, etiam mundo spectante redibit.
M. *Sed quinam in mundi poterit constare recessu*
Vt quosdam offendat viuos, anne vnica cunctos
Mors manet, ac fati non euitabile telum?
P. *Vas Domini electum Paulus, quo id soluere possim*
Suppeditat. Quicunq; erit illo in fine superstes,
Immutatum iri subitò: immutatio, mortis
Instar erit. Nam quodcunq; est in carne caducum

Exuet, interitúq; procul nos asseret omni.
M. *An nulla vtilitas Christo de iudice manat?*
P. *Nimirum nostræ caussa apparere salutis.*
M. *Atqui terrifico plenum est horrore tribunal.*
P. *Non equidem, Nec enim se alius pro iudice nobis*
Ostendet, quàm qui patroni est munere functus.

DOMINICA. XIIII.

M. *QVæ fidei est pars terna?* P. *In sacrum credere flamen.*
Nam veluti Pater in nato seruauit Iesu
Ascriptos vitæ æternæ, per pneuma salutis
Participes facit, ac sacro spiramine complet.
M. *Quinam istuc?* P. *Christi purgatio sanguine parta est,*
Atq; salutifera nos pneumatis aspergine mundat.
M. *Planius enarra.* P. *Sacri spiramine flatus*
Cor patet, vt sese Christi ad mysteria tollat:
Deinde etiam partam Christo moriente salutem
Spiritus obsignat sacer, & vestigia vitæ
Munda facit, renouatq; animum ad cælestia regna.

DOMINICA. XV.

M. *ENarra quartum membrum.* P. *Sparsumq; fidelem*
In terris cætum agnosco. M. *Quid nomine cætus?*
P. *Electum passim populum, vitæq; beatæ*

Ascrip-

Ascriptum, rudis ante olim cunabula mundi.
M. *Hoccine credendum est etiam?* P. *Nisi passio Christi*
Incassum fuerit: Nam quorsum morte salutem
Attulerit, Patri si nulla Ecclesia parta est?
M. *Sic sentis. Formam hanc caussam. fontemq; salutis*
Partibus amplecti primis, qui deinde sequuntur
Effectus, tandem postremâ hac parte notari.
P. *Hoc ipsum.* M. *Sed quo sancta est Ecclesia sensu?*
P. *Nam quos arcano Pater ipse volumine vitæ*
Rettulit acceptos, renouat, iustosq;, piosq;
Efficit, atque suo totos consecrat honori.
Quinetiam cætum Christus quem morte redemit
Sanctificat, maculæq; expertem, ac labe carentem.
M. *Cur sparsum cætum appellas?* P. *Nam Ecclesia pas-*
Diffusa in terras, vnius corporis, vni (*sim est*
Morigerans capiti, At seiunctos interuallo,
Vna fides, spes vna, Deus complectitur vnus.
M. *Quænam communis sanctorum est vnio profer?*
P. *Hæc pars explanat, quo pacto Ecclesia Christi est*
Vnita in terris: Etenim per singula membra
Participat Christi donis, Communio tanta est.

DOMINICA. XVI.

M. *Annè hic in terris perfectè Ecclesia sancta est?*
P. *Non equidem: Nanq; has vitæ dū carpim⁹ auras*

Pugna manet, semper á acri confligimus hosti.
Quinetiam infirma est semper, dum mole laborat
Corporea, non illa prius contagio carnis
Desinet, æterno capiti quàm Ecclesia iuncta
In Cœlis, Christo similes exegerit annos.
M. Anne fide sola nobis Ecclesia constat?
P. Multa quidem passim certò se signa fidelis
Ostendunt populi, verùm hæc Ecclesia de qua est
Mentio, secreto electos conamine Patris
Significat, quam nos nullo compræhendere sensu
Possumus, & solis fidei spectamus ocellis.
M. Quid sequitur? P. Credo nobis peccata remitti.
M. Explana. P. Nobis gratis delicta parentis
Condonat bonitas, meritæq à tormine pœnæ
Liberat. M. An nostro merito hæc ascribere fas est?
P. Egregium meriti nomen Nos scilicet illud
Assequimur nexu sceleris! Sed gratia Christi
Sponte sua tanto dignatur munere: Nanque
Ille satisfecit Patri & pro crimine nostro
Innocuus pœnas luit, absoluitq; reatu.
M. Cur hic articulus sequitur? P. Non contigit ulli
Hoc munus, Christi qui non cognouit ouile.
M. Ergò hoc seiunctos cœtu spes nulla salutis
Certa manet. P. Verum. Quum quisquis schismate fœdus
Tàm sacrum abrumpit, spem vitæ protinus omnem
Proijcit, excelsique aditum præcludit Olympi.

DOMI-

DOMINICA. XVII.

M. *Qvin finem imponis?* P. *Corpus de puluere ſurget,*
Et nos æternæ potiemur gaudia vitæ.
M. *Quorſum hæc conducunt?* P. *Certe, nihil eſſe beati*
Omnino in terris, longe extra hæc mænia mundi
Fœlices regnare animas: hic degimus æui
Exiguum, extorres: illuc nos tendere vela
Conuenit, haud vani ſcopulis hæreſcere mundi.
Interea ne mens nobis ſub mole fatiſcat
Corporea, meditari iſtæc noctesque, dieſque,
Conuenit, & mundi inſultus ſuperare ferendo.
M. *Quonam ſurgemus pacto?* P. *Gens mortua, corpus*
Quiſquè ſuum arripiet, mutata conditione
Natura remanente. Etenim coruptio ſola
Deſinet, haud vlli poſthac obnoxia fato.
At verò, quicunque extrema in tempora mundi
Inciderint, illis ſubita immutatio mortis
Inſtar erit, Chriſto vt venienti occurrere poſſint.
M. *Annon cum iuſtis ſimul impia turba reſurget?*
P. *Plane omnes inquam: Verùm cultoribus æqui*
Cæleſti in patria non enarrabile munus
Propoſitum eſt, illos tormenta æterna fatigant.
M *Cur hic ſub finem ſolius mentio Cœli*
Facta fuit? P. *Fidei ſuccincta hæc formula tantum*

Pertinet electum ad populum, conceſſaque gratis
Dona Dei, procul à cœtu ſeiuncta prophano.

DOMINICA. XVIII.

M. *EX fundamento hoc, fidei finitio quæ ſit*
Collige. P. *Diuini perſuaſio certa fauoris,*
Nixa Dei verbo, quo ſe pro Patre recepit,
Ac ſeruatorem dilecta in prole futurum.
M. *Eſtne Dei donum?* P. *Omnino, ſpiramine ſacro*
Perficitur, ſic me diuina oracula paſsim
Erudiunt, doctique ipſo cognoſcimus vſu.
M. *Quinam iſtuc?* P. *Nec enim fidei ad myſteria qui-*
Infirmo penitrare animo, diffidere nobis (*mus*
Ingenitum eſt, niſi quòd ſtolidos fiducia noſtri
Efferat, aut vano ſpes ficta à numine pendet.
At vero vt primum ſacra aſpirauerit aura,
Diffugiunt mentis nebulæ, penituſque ſub imo
Corde fides, ſeſe Chriſti ad myſteria tollit,
Obſignatque animum ſpes non infirma ſalutis.
M. *Quænam eſt vtilitas fidei?* P. *Nos reddere iuſtos*
Ante Deum, & vitæ hæredes ſine fine beatæ.
M. *Annon id factis tribuis veſtigia recta*
Quum ſequimur, nulli prorſum confinia labi?
P. *Non equidem. Nec enim perfectum inſiſtere callem*
Conceſſum eſt homini: Semper ſub mole laborat
Corporea, fideique vno fulcitur aſylo.

DOMI-

DOMINICA. XIX.

M. *Nil factis tribuis meriti?* P. *Gens perdita tantum*
Proficimus factis æternæ ad tormina pœnæ.
M. *Sic sentis nihil à nobis procedere iusti,*
Acceptumue Deo, sacra dum afflauerit aura
Spiritus, & Christi bonitas coniunxit ouili
Membra suo: Quis enim viuum fœtente lacuna
Exhausit laticem? Quis praua ex arbore fructus
Egregios, putriue vnquam turgescere trunco
Viderat insignes, mala ad redolentia gemmas?
P. *Sane inquam, & quanuis facta excellentia sæpè*
Perstringant oculos hominum, sordescere certum est
Ante Deum, Mentis qui imo penetralia fundo
Discutit, & mundum sibi cor ante omnia poscit.
M. *Falsum ergo est meritis nos conciliare fauorem*
Numinis. P. *Haud dubiè talis præsumptio, plane est*
Impia, solius bonitas æterna parentis
Id Christi tribuit meritis, quanquam omnia nobis
Imputet, ac nulli peccatum ascribat autum.
M. *Quonam igitur pacto fidei nos munere iusti*
Reddimur? P. *Vt primum fiducia nostra recumbit*
Pollicitis Euangelij, nos protinus arram
Iustitiæ arripimus, quam verbi oracula nobis
Læta ferunt, fideique almo comprehendimus vsu.

DOMINICA. XX.

M. *Nosne iterum ex flatu geniti, Christique fidelem*
Transcripti in numerum, quæ sunt accepta tonãti
Perficimus? P. *Bonitas Patris sua dona fauore*
Prosequitur: sed sic nostræ contagio carnis
Polluit, vt meritis nil quicquam ascribere fas sit.
M. *Qua ratione placent ergo?* P. *Nos munere tanto*
Sola beat fidei virtus, contendere summo
Iure Deum nobis nolle, ac peccata remitti
Gratuitò, Christique aboleri sanguine crimen.
M. *Cur rectè facimus, si non ascribimus illis*
Iustitiam, aut vitæ meritum sine fine beatæ?
P. *Magna quidem est operi merces, quæ tempore vitæ*
Percipitur: Maior Cœli quæ in sede reposta est.
At non hæc operi tribuo: Clementia Christi
Sontibus ignoscit, propriæ sub tegmine velat
Iustitiæ, laudemque omnem sibi vendicat vni.
M. *Estne fides factorum expers?* P. *Clementia Christi*
Non homines solùm Satana ex hoste recepit,
Mortisque edomuit furias, patremque benignum
Reddidit, & læsi pacauit numinis iras:
Quinetiam nostras sacro spiramine mentes
Imbuit, vt legis nusquam recta orbita nobis
Excidat, atque pios vitam formemus in vsus.

Certe

Certe hæc diuelli nequeunt, qui facta, fidemque
Separat, haud illi Christus dignoscitur vnus.
M. *Ergo boni est quicquid fidei ex radicibus imis*
Pullulat, P. *Accedo, atque istæc primaria causſa est*
Cur Euangelium in binas diffindere partes
Sueuimus, in fidei donum, ac veram metanoeian.

DOMINICA. XXI.

M. *QVænam est hæc?* P. *Cum nos sceleris formidine*
Ducimur, & miro recti flagramus amore. (*vera*
Inijcimus carni frænos, nos, nostraque cuncta
Abijcimus, mentem vt sacro moderamine flectat
Spiritus, inque Dei totam, transformet amorem.

LIBER SECVNDVS
DE LEGE, PATRICIO
Adamsono auctore.

M. *HÆccine diuini quæso est pars altera honoris?*
P. *Sic inquam: Monitis summi parere tonantis.*
Non equidem quæ nos vani phantasma cere-
Edocet: At quæ lege sua testata reliquit. (bri
M. *Quid lex contineat profer? Distincta duabus*
Est tabulis, sic magna Dei prudentia Mosi
Tradidit. In prima, qua sit ratione colendus
Quattuor exponit monitis: pars altera senis
Præscribit, quæ sint vicinis mutua iura.
Inde solent rectè ista decem præcepta vocari.
M. *Commemora, & dena hæc mandata ex ordine profer.*

DECEM MANDATA.

P. *ADuerte Israel, memorique hæc mente repone.*
Sum Dominus, Deus ille tuus, qui Ægyptia solui
Vincula, qui Pharij eduxi tellure tyranni:
Ante oculos aliena meos ne numina habeto.
¶ Sculptile ne faxis vllum, simulacraue rerum
Quæ sunt in Cœlo supra, aut tellure premuntur
Inferius, liquidoue animans sub marmore serpit.
Ne coram inclines, nullo dignabere cultu.

Nanque

Nanque ego ſum æternus veſter Dominuſque Deuſque,
Zelo ardens, Patrum in natos delicta rebelles
Vlciſcor. Quæ me Soboles pro more parentum
Oderit, interno, & quarto luet ordine pœnas.
At quem cæpit amor noſtri, legiſque lubenter
Obſequitur monitis, eius milleſima cernet
Progenies, quàm larga adſit clementia nobis.
¶ Ne ſume incaſſum Iehouæ venerabile nomen:
Nam contemptorem Dominus non linquet inultum.
¶ Sabbata ſanctificato memor, ſex ritè diebus
Indulgeto operi, Iehouæ lux ſeptima magni eſt
Sacra quies, nullos illa exercere labores
Fas eſto, tibi, nec nato, natæ, famuloue,
Ancillæue, Bouiue, Aſinoue, aut iure recepto
Hoſpitij: Nam ſex terræque, polique diebus
Machina conflata eſt, ſeptena luce quieuit,
Sacrauitque diem ventura in ſæcla beatum.

SECVNDA TABVLA.

PAtrem proſequere & matrem reuerenter honore,
Longæuam vt fælix poſsis traducere vitam,
In ſancta, Iehouæ conceſſa munere, terra.
¶ Ne quenquam occidas, alieni fœdera lecti
Ne violes, furto abſtineas, ne teſtis iniquus
Vicino ſis innocuo: Nec tecta propinqui

Concupias, iunctamue thoro, famulumue ministrum,
Ancillamue, Bouem, aut Asinum, aut quod dicere possit
Iure suum, nullo illius flagrabis amore.

DOMINICA. XXII.

M. EXplana nobis primum. P. Præfatio legi
Præposita est: Nam dum Domini se voce potenti
Nominat, haud dubiè laudem sibi vendicat vni
Figendi leges, nosque his parere lubenter
Inuitat, nobis sese cum prædicat almum
Esse Deum, sæuique iugo seruasse tyranni.
M. Atqui hæc, quæ dicis, Pharij in ditione tyranni
Hebræo acciderant populo, Quidnam attinet istud
Ad nos, Iudæi qui non censemur appellæ?
P. Non equidem inficior: verùm nos durior olim
Oppressit Pharao, quanto mens corpore distat.
Ille sua nobis virtute repagula fregit
Infera, captiuasque animas é carcere sæuo
Eripuit peccati, & libertate beauit.
M. Quid causse est cur primo istæc in limine legis
Commemoret? P. Nos vt Domini præcepta lubentes
Amplectamur, Certè indignus munere tanto est,
Vltrò qui Domino nolit parere monenti.
M. Quid primo poscit monito? P. Obseruemus honore
Se solum. M. Quidnam quæso deposcit honoris?

P. So-

P. *Solus adorandus Deus est, fiducia solum*
Nostra petat, nomen Domini est in vota vocandum,
Non aliud, laudisque sibi quod vendicat vni
Præterea, haud vlli fas est ascribere cuiquam.
M. *Cur ait ante oculos?* P. *Quoniam penetralia cordis*
Ima patent illi, externos impendere cultus
Non satis est, animi toto conamine amandus
Est Deus, & nobis integra mente colendus.

DOMINICA. XXIII.

M. *PErge puer. Quænam est primi lex altera saxi?*
P. *Sculptile ne faxis vllum, simulacraue rerum*
Quæ sunt in Cœlo supra, aut tellure premuntur
Inferius, liquidoue animans sub marmore serpit.
Ne coram inclines, nullo dignabere cultu.
M. *Anne omnis præcepto isto prohibetur Imago?*
P. *Non inquam. Sed nè effigies delineet vlla*
Arte Deum, idoloue eius simulemus honorem. (*fas est*
M. *Quinam istuc?* P. *Nec enim cu quam componere*
Mortali æternum, quodq; omni est labe remotum
Pollutæ numen non corruptibile massæ.
M. *Num sentis quòd nulla illum reuerentia tangat*
Diuinæ maiestatis, qui fictile quicquam
Comparet, ac rebus similem putet esse caducis.
P. *Hoc ipsum.* M. *Quemnam vetuit concedere cultum?*
P. *Ne precibus coram inuigiles, ne poplite flexo*

Prætereas, ſignoue vllo digneris honoris.
M. *Haccine ſculptorum, & pictorum induſtria lege*
Cauta fuit, ne quis naturam effingere fuco
Audeat: An potius ſacros ne proſtet in vſus
Effigies, cultune vllo ſimulacra feramus?
P. *Hoc ſolum. Nanq; vt ſolidum ſibi poſcit honorem*
Mandato Dominus primo, ſic regula cultus
Hæc ſequitur. Nam nos mentem ad celeſtia rectam
Tollere: Nec factis animum proſternere rebus
Conuenit, aut ſummum extra ſeſe quærere numen.

DOMINICA. XXIIII.

Quid ſequitur? Terret minitanti voce rebelles.
Nanque ego ſum æternus veſter, Dominuſq;, Deuſq;,
Zelo ardens, patrum in natos delicta rebelles
Vlciſcor, quæ me ſoboles pro more parentum
Oderit, in terno, & quarto luet ordine pœnas.
M. *Cur nomen ſumit Domini?* P. *Vt ſe eſſe potentem*
Significet, ſibi qui ſoli nomenque, decuſque
Aſſerat, & digna plectat mercede rebelles.
M. *Zelotypum appellat?* P. *Riualem agnoſcere hono-*
Non patitur, qui nos ſacrato fœdere iunxit (*ris*
Connubij, menteſque ſibi diſponderit vni.
M. *Cur addit patrum in prauos delicta nepotes*
Vlturum? P. *Vt nos à cultu deterreat iſto.*

Si

Si noſtri ſumus immemores, ſpes cara nepotum
Commoueat, noſtro pœnas ne crimine pendant.
M. *Hæccine iuſtitiæ quadrant, ſicne arbiter æquus*
Eſt Deus, vt patrum in natos delicta rependat?
P. *Conditio eſt ſpectanda hominũ, quos primitus omnes*
Diuinæ ſcelus admiſſum ſubiecerat iræ.
Hos ſi naturæ patitur ſordeſcere fœce
Omnipotens, Quis iure illum contendat iniquum?
Nam veluti quoſdam corruptæ ex agmine maſſæ
Liberat, & patrio ſobolem dignatur amore:
Sic alios odit ventura in ſæcula iuſtus
Arbiter, & merita in natos accenditur ira.
M. *Num terret ſolum Dominus?* P. *Promiſſa ſequuntur.*
At quem cœpit amor noſtri, legiſque lubenter
Obſequitur monitis, eius milleſima cernet
Progenies, quàm larga adſit clementia nobis.
M. *Hoccine iuſtorum quiſquam pietate meretur*
Vt ſobolem poſsit, quanuis ſeruare rebellem?
P. *Non equidem. Verùm bonitas immenſa tonantis,*
Quo patres ſemel eſt ipſos amplexa fauore,
Prorogat in ſobolem: Nec eos terreſtribus auget
Muneribus ſolum: ſed ſacri afflaminis aura
Sanctificat, Domino vt poſſint parere monenti.
M. *At non hoc ſemper pacto ſuccedere certum eſt.*
P. *Agnoſco. Nec enim ſeſe liberrimus auctor*
Obſtrinxit nobis. Quin ſæpe ex fœce parentum

Electam statuit sobolem, ac de semine iusto
Reijcit: arcana est eius reuerenda voluntas.
At non incassum nobis promissa, minasque
Accidere, assiduo rerum cognoscimus vsu.
M. *Cur in mille Deus bonus est: generatio finit*
Quarta minas? P. *Certè in partem propensior idem est,*
Tardior ad panas: sic sacro carmine vates
Psalmographus, Domini bonitatem ad sidera tollit.

DOMINICA. XXV.

M. *Perbellè, Nunc ad mandatum accedito ternum:*
P. *Ne sume incassum Iehouæ veneraabile nomen.*
Nec vero hac solum Dominus periuria nobis
Lege vetat, sed verba etiam temeraria damnat.
M. *Num semper iurare nefas?* P. *Quandoque licebit,*
Vt veri constare fides, cum temporis illud
Exposcit ratio, & firmari fœdera amoris
Læta queant, carosque inter pax duret amicos.
M. *An solùm mandato isto iurare prophanum est?*
P. *Non equidem: Quouis diuino nomine abuti*
More vetat, castumque illi deposcit honorem,
Ne verbis temere effusis contemnere nomen
Tam sacrum, & paruo duci videamur amore,
Exemplique ad vicinos contagio serpat.
M. *Quinam id continget?* P. *Toto si pectore numen*
Accipimus,

Accipimus, linguamque eius ſacramus honori.
M *Quid ſequitur?* P. *Dominus conc̃eptum haud linquet*
M. *At qui diuinis monitis parere recuſant (inultum.*
Non impunè ferent. Cur iſti clauſula legi
Appoſita eſt, leges ſpectans communiter omnes?
P. *Vt doceat quàm magna ſuum reuerentia nomen,*
Poſtulet à nobis, vltorem ſe fore dicit
Eius, ſacrilego quicunque id polluit auſu.

DOMINICA. XXVI.

M. *Dictum legis ſequitur nunc ordine quartum.*
P. *Sabbata ſanctificato memor, ſex ritè diebus*
Indulgeto operi, Iehouæ lux ſeptima magni eſt
Sacra quies, nullos illâ exercere labores
Fas eſto, tibi, nec nato, natæ, famuloue,
Ancillæue, Boui, aut Aſino, vel iure recepto
Hoſpitȳ: Nam ſex terræque, polique diebus
Machina conflata eſt, ſeptena luce quieuit,
Sacrauitque diem ventura in ſæcla beatum.
M. *Num mandat ſex continuas ex ordine luces*
Inſudare operi. P. *Certè, conceſſa facultas*
Eſt faciundi operis: Tantùm lux ſeptima cauta eſt.
M. *Ergo putas vna mandatam luce quietem?*
P. *Lex, ſi corpoream modo vis ſpectare quietem,*
Hebræi eſt ſolum populi, veteriſque figura

Fœderis: At Christo veniente euanuit vmbra
Protinus, & pompæ externum dispæruit agmen.
M. *An nil præceptum hoc deletæ continet vmbra?*
P. *Tres eius caussas numero. Nam spiritualem*
Significat primò requiem: Mox, ordinis ergo
In cætu colitur sacro: postrema, labores
Assiduos, fessi vt possit lænire ministri.
M. *Quænam est hæc requies quam dicis spiritualem?*
P. *Quum carnis cessant artes, domitæque facessunt*
Illecebræ, ac sancto clauum moderamine flectit
Spiritus, atque animi studium sibi dedicat omne.
M. *An lucem requies solùm hæc depostulat vnam?*
P. *Perpetuò est celebranda homini, dum terminus æui*
Venerit, ac fati suprema accesserit hora.
M. *Quì fit vt vna dies diuturna hæc otia nobis*
Significet? P. *Satis est his si respondeat illa,*
Nec simile ex omni quadrare est parte necesse.
M. *Septima cur typica est?* P. *Perfectio sæpe notatur*
Hoc numero: Toto nimirum tempore vitæ
Duratura quies. Nec vero tempore finem
Accipiet, tandem non cessatura colemus
Sabbata, & optati requie potiemur Olympi.

DOMINICA. XXVII.

M. *Cvr sese in medium adducit?* P. *Sex ipse diebus*
Paulatim hunc orbem statuit, lux septima nobis
Proposita

Propoſita eſt, in qua vaſti miracula mundi
Contemplemur, & ipſius memorata ſequamur
Exempla artificis: Quid enim plus poſcere votis
Quis poſsit, conformem illi quam degere vitam?
M. Hebdomadæne iſtæc vna meditatio ſolùm
Eſt contenta die? P. Certe, noctesque, dieſque
Poſtulat, & noſtri curſum ſibi vendicat æui.
At, quale ingenium noſtrum eſt, obliuia mentem
Corripiunt, curaquè nimis torpemus inerti.
Ergo vnam ſolers Domini prudentia lucem
Conſtituit nobis, in qua ſolùm iſtud agamus.
Atquè hic eſt, de quo ſupra prædiximus, ordo.
M Quiſnam eſt illius quem narras ordinis vſus?
P. Vt credens Chriſto populus reuerenter in vnum
Conueniat, verbo vt diuino aduertere poſsit,
Et precibus nauare operam, fideiquè latentis
Indicia, externo teſtata relinquere cultu.
M. Vltima quæ cauſsa eſt? P. Vt quos ſub iure poteſtas
Detinet alterius, lucis ſolamina ſacræ
Expectent, operum immunes: Lex commoda ſpectat
Publica: Qui famulis diuturna ad munia vires
Suppeterent? Verum illius ſpes certa quietis
Sex operi cogit promptas impendere luces.
M. Nunc reſtat num quo pacto lex pertinet iſta ad
Chriſticolas. P. Dudum Chriſto ceſsiſſe figuram
Diximus, is ſolidum eſt corpus, præſentia cuius

Discussit typicas veteri sub fœdere nubes.
M. *Quidnã ergo remanet?* P. *Certe, quem diximus ordo*
Vt sacros celebrent cœtus, verbique fideli
Præconi auscultent, communia vota frequentes
Concipiant, fidei adiungant signacula verbo.
M. *An nulla est vmbræ vtilitas?* P. *Nos tramite recto*
Dirigit ad Christum, cuius iam munere, carne
Perdomita, puræ semper lœta otia mentis
Excolimus, requiémque illam speramus Olympi.

DOMINICA. XXVIII.

M. *Altera diuinæ sequitur modo pagina legis.* (re.
P. *Patrem prosequere & matrem reuerenter hono-*
M. *Quidnam hoc mandato tibi vox designat honoris?*
P. *Scilicet vt patrum natos reuerentia tangat*
Debita, mandatis Patrijs parere necesse est,
Auxilóque iuuare inopes, humilique parentes
Obseruare animo. M. *Pergas.* P. *Promissa sequuntur,*
Longæuam vt fœlix possis traducere vitam,
In sancta, Iehouæ concessa munere, terra.
M. *At quonam pacto longæuæ tædia vitæ*
Muneribus numeras? Heu quanta incommoda secum
Vita trahit, Quantos aufert mors vna dolores!
P. *Non ibo inficias, verum productio vitæ*
Electo populo, Domini manifesta fauorem

Indicat.

Indicat. An nihil eſt tàm longo tempore præſens
Senſiſſe auxilium: Ad vitam quodcunque neceſſe eſt
Ex eius fluxiſſe penu: atquè incommoda mundi
Spe vitæ alterius ſancto contemnere faſtu?
M. *An valida eſt contra ratio, quos ſtamina vitæ*
Parca necant, iratum illos ſentiſcere numen.
P. *Abſurda omnino eſt, ſæpe ex hoc corpore caros*
Euocat imprimis famulos, ne ſordibus iſtis
Aſſueſcant, patrioque ſtatim potiantur Olympo.
Atqui hoc promiſſo pugnat. P. *Quæcunque recepit*
Facturum Deus, hac ſemper ſub conditione
Accipio, noſtræ terreſtria dona ſaluti
Si proſint, cuius Domino primaria cura eſt.
M. *Quid? Num nulla manent natos tormenta rebelles?*
P. *Æterna haud dubiè: Nec verò tempore in iſto*
Impunè eſt illis, Quoſdam mors abripit atra
Ante diem, quoſdam meritis digniſsima finis
Accipit, & vitam probroſa morte relinquunt.
M. *Hiccine de ſola ſermo eſt Cananitide terra?*
P. *Iudaico certe populo, Nos latius illam*
Accipimus: Quacunquè etenim tellure moramur,
Tota Dei eſt, ſoloquè eius nos munere habemus.
M. *Nilne hac in lege eſt aliud?* P. *Fit ſola parentum*
Mentio, ſed ſimili reges ratione colendos
Diſcimus, & quoſcunque aliquo præcellere honore,
Ille dedit, cuncta eſt à quo ſtabilita poteſtas.

DOMINICA. XXIX.

M. *Mandatum exponas ſextum.* P. *Ne occidito quen-*
(quam.
M. *Si iugulo abſtineas enſem, ſi dextra vacarit*
Sanguine, num ſatis eſt? P. *Mentem ſibi poſtulat auctor*
Integer integram: fraterni nominis oſor
Ante Deum, ſi facta abſint, hac lege homicida eſt.
M. *Eſtne odio caruiſſe ſatis?* P. *Dilectio nobis*
Eſt opus, alterius ſemper quæ commoda ſpectet.
M. *Quæ lex ſeptena eſt?* P. *Alieni fœdera lecti*
Ne viola. M. *Quænam eſt huius ſententia legis?*
P. *His verbis impura omnis ſcortatio nobis*
Interdicta fuit: Nec vero pellicis artes
Ferre poteſt legis noſtræ caſtiſſimus auctor.
M. *An nil præterea in lege eſt?* P. *Ante omnia cordis*
Munditiam, & rectam purgato in corpore mentem
Poſtulat: Ille ſacer flatus qui corpora noſtra
Incolit, haud vlla patitur ſordeſcere fœce.

DOMINICA. XXX.

M. *Quodnam mandatum octauum eſt?* P. *Furtoq; ca-*
(ueto.
M. *An ſolum hac Dominus manifeſtas lege rapinas,*
An fraudis vetat aucupium? P. *Quæcunque paramus*
Illicitè, ſeu vi ſpolium tentamus apertâ,

Seu

Seu fraude aggredimur, vel iniquas teximus artes,
Et quicquid legis nostræ non approbat auctor.
M. *An tantum alterius res contrectare vetamur*
Inuito Domino, vt iuris scripsere periti?
P. *Mens semper primas poscit, ne fraudibus vllis*
Aspiret, fratrumque velit ditescere damno.
M. *Quid faciundum ergo?* P. *Contentus viuere discat*
Quisque suo, & proprio vitam perferre labore.
M. *Mandatum nonum sequitur.* P. *Ne testis iniquus*
Vicino sis innocuo. M. *Num iudice coram*
Non aliàs, testis periuria damnat iniqui?
P. *Qui famam alterius minuit, nomenque, decusque*
Vellicat, & maledicendi studio vsque tenetur,
Peccat in hanc legem: Nam qui rumoribus vllis
Vicinum lædit, fæda ad periuria tandem
Prouolat: & Dominum perfricta fronte negabit.
M. *Num mentem sanam poscis?* P. *Vel maxime, & eius*
Hæc paucis vis est: Non solùm lædere verbis
Abstineas, caue ne ducat te praua voluntas.
Quinetiam famam semper tueare memento
Alterius, teque illius ne subtrahe laudi.

DOMINICA. XXXI.

M. *VEntũ ad postremam est legem.* P. *Nec tecta pro-* (*pinqui*
Concupias, iunctamue thoro, famulumue ministrum,

Ancillamue, Bouem, aut Asinum, aut quod dicere possit
Iure suum, nullo illius flagrabis amore.
M. *Cum lex tota animum spectet, cur vnica tandem*
Clausula in effrænes animi est dilata furores?
P. *Responsum in promptu est: Nam tota lege voluntas*
Perfecta à nobis petitur: Nunc motio quæuis
Irrita, consensus expers, & nescia facti
Damnatur. M. *Num si qua leuis tentatio mentem*
Punxerit, ascribes vitio? P. *Corruptio certe*
Naturæ hanc peperit, cuius scintillula nulla est
Quæ non cum Domini sacrata lege repugnet.
M. *Sic sentis, tres esse gradus. Tentatio prima est,*
Consensus mentis sequitur, quem perficit actus.
Hos suprà damnant leges, Tentatio tandem
Hic vetita est, Tanta est sacræ perfectio legis.
P. *Non alijs certè cupijssem exponere verbis.*
M. *Num potis es totam paucis complectere legem?*
P. *Non id difficile est: Nam toto pectore amandus*
Est Deus, atque pari nobis vicinus amore.
M. *Quisnam amor ille Dei est?* P. *Caro quum noscimus*
Solum pro Domino, pro Seruatore, parente, (*illum*
Prosequimurquè humiles cultu, & confidimus vni.
M. *Pectore cur addis toto?* P. *Ne affectio praua*
Implicet, aut mentem à Domini seducat amore.

DOMI-

DOMINICA. XXXII.

M. *ALtera pars ſequitur.* P. *Miro vt flagramus amore*
Quiſq; ſui, certè quæ ſunt nocitura cauemus (*re*
Commoda ſectamur: Sic nobis regula vitæ
Vicini in caro debet conſiſtere amore.
M. *Quiſnam proximus eſt?* P. *Non ſolum ſanguine, & iunctus*
amicitiâ, peregrinis incola terris, (*arcta*
Atque adeò hoc ſæuus nomen ſibi vendicat hoſtis.
M. *Copula quæ eſt?* P. *Firma haud dubiè quàm nulla*
Impietas, certis naturæ aſtricta catenis. (*reſoluet*
M. *Sic ſentis, ſi quis fraterni nominis oſor*
Extiterit, ſcelus eſſe eius, ſed vincla manere,
Communis tamen à nobis ſeruanda fauoris.
P. *Hoc ipſum.* M. *Num quiſq; ſuam componere vitam*
Debet ad hanc normam? P. *Certè: ſed ferre recuſant*
Infirmi pondus humeri: Non extitit vſquàm
Sincerus legis cuſtos, perfectio tanta eſt.
M. *Cur quæſo petitur plena obſeruatio legis*
Quæ fieri nequeat? P. *Certè ad præcepta tenemur*
Omnia: Nam noſtri eſt ſceleris quòd ſimus inepti.
Verùm, ſi ſtudium nobis, & prompta voluntas
Adfuerint, totóque illuc conamine mentis
Nitimur, haud dubiè quanuis perfectio longè
Abfuerit, nullo aſtrictos nos crimine cenſet.

M. *Hiccine de cunctis sermo est, solúmne fideles*
Respicit. P. *Haud vllus poterit sine flamine sacro*
Impleri vel legis apex. Quid si vnica posset
Clausula? Nimirum diuinæ subiacet iræ
Quem minimus calle à recto subduxerit error.

DOMINICA. XXXIII.

M. *Hinc non difficille est sacræ duo munera legis*
Colligere, ex hominum distincta conditione.
P. *Non equidem: Nam qui legi parere recusant*
Arguit infidos sceleris, prætexere culpæ
Nil patitur, causasque aufert, sic mortis odorem
Ac instrumentum, verbi pia buccina Paulus
Nominat: Ast alios longè se pandit in vsus
Credenti populo. Primum, nos lege magistra
Ducimur ad Christum, lex nescia reddere iustos
Ad Seruatoris fontes nos tota relegat.
Tum carnis reprimit fastum, dum crimina ponit
Ante oculos, humilique monet contendere voce
A Domino veniam, & vires, vt quisque monenti
Pareat, & vitam ad rectos accommodet vsus:
Postremò fræni est instar, ne colla capistro
Libera, dediscant Domini perferre timorem.
M. *Non ergo frustrà nobis perfectio legis*
Proposita est, instar metæ quo tendere quisque

Debeat,

Debeat, ac aucto ſemper procedere paſſu,
Gratia cuique ſua eſt, verùm meta omnibus vna.
P. *Sic eſt.* M. *Sed nunquid perfecta eſt regula legis?*
P. *Omnino, certe facienda, cauendaque cuncta*
Continet: haud illi noſtri phantaſma cerebri
Aſſuere integrum eſt: Domino neque gratior vlla eſt
Victima morigerum quàm ſe præbere monenti.
M. *Si lex perfecta eſt, quorſum non rara Prophætis*
Concio, quæ monitis conſtet, ſolamina crebra
Miſceat, an reliquus ſcripturæ euanuit vſus?
P. *Abſit: Nam legis concepta eſt formula paucis,*
Quæ ſeſe reliqua ſcriptura interprete pandit
Latius. M. *An legem officium præſcribere ſentis*
Cuique ſuum? P. *Ingenere: at nobis ſcriptura relicta eſt,*
Ex qua quiſque ſuum poſſit dignoſcere munus
Planius, & vitam ad rectam componere normam.

LIBER TERTIVS DE ORATIONE, PATRICIO Adamsono auctore.

DOMINICA. XXXIIII.

M. *At multis tibi diuini pars altera honoris*
Tractata est: Nunc ad ternam discendere per-
P. *Suppetias Dominum afflictis deposcere re-*
Atque vnum nostræ fontem implorare salutis.
M. *Num solum votis petimus?* P. *Sibi vendicat vni*
Hanc laudem, Haud tali quenquam dignatur honore.
M. *Num fas est hominum, si res modo tristior vrget,*
Implorare fidem? P. *Quidni: At discrimine longo*
Hæc distant, Dominum quoties in vota vocamus,
A solo auxilium petimus, fiducia solum
Respicit: ast homini quando est concessa facultas
A Domino, vt nostris possit succurrere rebus,
Non homini id tribuo, Certe Deus ipse ministrat
Cælitus, humanæ tantum moderamine dextræ.
M. *Num grates referendæ illis qui hæc munera nobis*
Suppeditant? P. *Certè naturæ lege tenemur.*
At vero quos hoc Dominus dignatur honore
Vt sua dispensent dona, obseruare profectò
Imperat, & vinclo nobis magis alligat arcto.
M. *Hinc planè apparet, quod nemo in vota vocandus*

Angelus

Angelus est, nullus vitai munere functus.
P. *Certa adfers: Nec enim mandata prouincia cuiquã*
Sanctorum à Domino est, nobis vt pondere pressis
Ferret opem, Satis est illis defigere vultus
In Iehouæ decus immensum, laudésque parentis
Ætherei, gratis animi percurrere plectris.
Nec vero angelicos flatus seruire saluti
Humanæ inficior, iustorum sistere vota
Ante Deum agnosco, sed laudem respuit illam
Nuntius, insignem Domini quæ spectat honorem.
M. *Sic statuit fateor, Sed si quid protinus istis*
Non quadret, nunquid Domini est violata voluntas?
P. *Omnino: Nec enim quicquam gens credula poscit,*
Arbitrium præter Domini: Quicunque creatis
Nititur, & voti Iehouam defraudat honore,
Seu Sanctos vocet, aut flatus in vota ministros,
Perditus idoli est cultor, laudémque tonantis
Destruit, & vani capitis noua numina fingit.

DOMINICA. XXXV.

M. *Quis rectius votorum vsus? Num lingua sonare*
Sola preces, debentue alto procedere corde?
P. *Cor semper primas poscit, nec munere linguæ est*
Semper opus, purus Deus ipse est Spiritus, & vult
Corde coli puro, quum certe tempore in omni,

Præcipuè, quando coram nos ſiſtimus, atque
Præſentem affamur precibus, promiſſio facta eſt
His ſolùm, vero Dominum qui corde vocarent:
At linguæ blatero non ventis irrita ſolùm
Verba dat, irati depoſcit numinis iras.

M. *Quæ cordis quæſo in votis affectio grata eſt?*

P. *Cum noſtri propter delicti tædia, mente*
Angimur, hæc ſceleris vero depreſſa dolore
Ingemit, & veniæ non ficto flagrat amore.

M. *Hæccine debemus nobis, an numinis illud*
Eſt opus? P. *Haud dubiè dona hæc Pater ipſe miniſtrat*
Cælitùs: indignum, nobis quam ſegnia torpent
Pectora, ni ſancti flatus accenderit ardor.

M. *Num ſequitur, reſides nequaquam in vota parandos*
Eſſe animos flatumque illum debere ſupinos
Expectare ſacrum? P. *Certè cum corda laborant*
Frigore, poſcendus Deus eſt vt flamine ſacro
Imbuat, ac puro torpentes concitet æſtu.

M. *An nullus linguæ in precibus ſeſe exerit vſus?*

P. *Haud pauci, retinet vocis prolatio mentem,*
Ne facile à Domino meditatio noſtra fatiſcat:
Tum lingua auctoris laudem, ac præconia magni
Teſtatur, gratæque canit modulamine vocis,
Sæpè etiam linguam vehemens affectio pulſans
Pectoris, in verba haud quaquam meditata reſoluit.

M. *Num proſunt quicquã peregrinæ murmura linguæ?*

P. *Ridicula*

P. *Ridicula haud dubiè, Ceu perſonata theatri*
Actio, quam ficto mimus ſimulauerit ore.

DOMINICA. XXXVI.

M. *PEndemus ne animi, an certa ſpe vota paramus?*
P. *Spe certa. Nobis eſto hæc certiſsima ſemper*
Regula, iuſtorum ſurda non negliget aure
Vota Deus, tribuetque illis quodcunque putarit
Vtile. Sic Paulus fidei procedere puro
Fonte preces ſcribit, fidei perſuaſio certa eſt.
M. *Qui titubat, dubioque animi qui fluctuat æſtu,*
Aſſequiturne aliquid precibus? P. *Sunt irrita certè*
Vota eius, quæ nulla Dei promiſsio fulcit.
At Chriſtus quicquid Patrem credendo petamus
Se conceſſurum ſacrata voce recepit.
M. *Vnde homini quæſo manat fiducia tanta*
Mancipio ſceleris, Domino ſe vt ſiſtere coram
Audeat, ac illum certa ſpe in vota vocare?
P. *Infirmas primum mentes promiſsio verbi*
Occupat, hoc Domini ſancit clementia fœdus,
Non noſtri ratio meriti, promiſsio poſtquam
Accepta eſt animis, tum ſanctus anhelitus ipſum
Ad Patrem propius recto nos tramite ducit.
At vero horrendum ne mens ſibi conſcia numen
Eſſe putet, Chriſtus nobis occurrit Ieſus:

Ille genus noſtrum, putris modo reptile terræ,
Conciliat Patri dilecti nomine Nati.
M. *Sunt ne eius ſolum facienda in nomine vota?*
P. *Omnino. Quæcunque pijs promiſsio facta eſt*
A merito pendet dilectæ munere prolis.
M. *Non ergo faſtu nimium ſe tollit inani*
Fidentiſque animi eſt, Chriſto qui fretus Ieſu
Cæleſtem votis Patrem compellat amicis.
P. *Haud penitus: Nanque ipſius velut ore precamur*
Qui nobis pateſecit iter, qui vota parenti
Grata facit, noſtroque illi ſe nomine ſiſtit.

DOMINICA. XXXVII.

M. *NVm præſcripta vlla eſt orandi formula, vel nos*
Quod cupidam venit in mentem depoſcere par eſt?
P. *Mens humana quidem cæcis occluſa tenebris*
Quid petat, ignara eſt, at praua affectio mentis
Frænanda eſt, arctis ne quò deflectat habenis.
M. *Quid faciendum ergo?* P. *Domino parere monenti*
Conuenit, is certe nobis quodcunque neceſſe eſt
Conſcius, oblata dextra nos tramite recto
Dirigit, vt ſolum præeuntis verba ſequamur.
M. *Quodnam præſcriptum eſt eius?* P. *Qui oracula ſa-*
Voluerit, haud illi votorum incognitus vſus (cra
Eſſe poteſt. Verùm nobis vt certa maneret

Formula,

Formula, vel pauco verborum carmine claudit.
M. *Quin effers.* P. *illam Christo didicere Magistro*
Discipuli. Hæc inquit vestris sit formula votis.

ORATIO DOMINICA.

ALme Parens noster celsi super atria Cœli,
Sanctificata tui Maiestas nominis esto.
Adueniant tandem sperati gaudia Regni:
Vtque tibi Cœli gaudent parere cohortes,
Sic tua per terras fiat sacrata voluntas.
Da nobis hodie diuturni pabula victus:
Debita condona nobis, debentibus ipsi
Ex animo cunctis ceu condonare solemus.
Ne nos in cæcas Satanæ inducito fraudes,
Sed serua à prauo: Regnum sine fine perenne
Est tibi, cuncta potestas, cunctaque gloria, fiat.

M. *Vt facilè expedias, dic quot comprehendere possis*
Articulis? P. *Bis ter: Tantum tres ordine primi*
Ad Domini laudem spectant, qui deinde sequuntur
Nostra quidem sese paulatim ad commoda flectunt.
M. *An quicquam petimus quod nobis vtile non sit?*
P. *Quod Domini laudem spectat, sic omnia versat*
Infinita Dei bonitas, ad nostra redundat
Commoda: Nam quoties sancto celebratur honore

Diuinum nomen, nos eius munere Sancti
Reddimur, aduentu regni nos læta coronat
Gloria, sed mera nunc nobis obliuia debent
Nostri esse, vt solum Domini spectemus honorem:
Ac etiam quamuis illi qui deinde sequuntur
Articuli, nobis prosint, ante omnia laudem
Respiciunt, celsique decus sublime tonantis.

DOMINICA. XXXVIII.

M. *AD formam accedo, Cur sese voce parentis*
Nominat? P. *Haud dubiè cari vox plena fauoris*
Intrepido iubet esse animo, & formidine pulsa
Non secus ad Patrem caros quàm accedere natos,
Fidentèsque magis: Si nos ab origine praui
Consulimus propriæ soboli, Quæ cura parentis
Ætherei, nostros se prouida didit in vsus?
M. *Num quod conclusum est supra, vota omnia Christi*
Inniti merito, euinces ex voce parentis? (set
P. *Firma quidem ratio est: Nec enim nos nomine cen-*
Natorum omnipotens, nisi Christi ex corpore membra
Simus, & in caros nati coalescimus artus.
M. *Cur nostrum Patrem appellas, quem quisq; vocarit*
Iure suum? P. *Certè nostrum non conuenit vlli*
Priuato duci studio, communia fratrum
Commoda, debemus nostris proponere votis.

M. *Quid*

M. *Quid sibi vult quod ais, celsi super atria Cœli?*
P. *Incōprehensibilem, atq; æternum, ac omnipotentem.*
M. *Quorsum istuc?* P. *Sursum nostras attollere mentes*
Instruimur, ne de Domino carnalia fingant
Somnia, vel nostro pendamus numina captu.
Quin illum cuncti Cœli, terræque penates
Obseruent, Dominumque humili vereantur honore.

DOMINICA. XXXIX.

M. *QVid primò petimus?* P. *Iehouæ laudemq; decusq;*
Per cunctas passim mundi splendescere partes.
M. *Num capit augmentum, aut decrescit celsa tonantis*
Gloria? P. *Non in se, Verùm vt perfectio cuncta*
Laudis inest illi, sic omni nube remota
Optamus toti decus illucessere mundo.
M. *Quid regni nomen sibi vult?* P. *Constare duabus*
Partibus agnosco. Primùm, spiramine sacro
Imperat electis: Tum gens malè credula, sceptri
Sentit onus, Nihil vt fastu prodesse superbo
Numinis inuictæ virtuti obsistere discat.
M. *Quid petimus regni aduentu?* P. *Incrementa fidelis*
Vsque gregis, numeroque auctum ditescere donis
Cælitùs: vtque adsit totum quæ terreat orcum
Iustitia, & gentem perdat sine fine rebellem.
M. *Num fiunt, hæc, inque dies?* P. *Quadam tenus illa*

Haud fieri ignoro. Verùm perfectio regni
Non prius extremo cani quam in limine mundi
Aduenict: celsus iudex sublime tribunal
Ingrediens, sibi subijciet terramque polumque,
Atqui illi tum cuncta gerent obnoxia morem,
Vt sit per fectè Deus omnia in omnibus vnus.

DOMINICA XL.

M. *QVo sensu petis vt fiat diuina voluntas?*
P. *Nimirum vt totus naturæ pendeat ordo*
A Domino, atque eius se vltrò submittat habenis.
M. *Num sentis illi fieri nil posse repugnans?*
P. *Non petimus solùm vt fiant arcana tonantis*
Consilia, & quicquid secum decreuerat olim,
Quin illi dura quicquid ceruice resistit,
Conterat, vt Domino nemo parere recuset.
M. *Num sic orando, propriis affectibus vltrò*
Cedimus? P. *Omnino, nec solùm vota rogamus*
Irrita sint, quæcunque animis affectio prauis
Suppeditat, verùm vt sacro spiramine mentes
Imbuat, vt nostra ex renouato pectore semper
Vota fluant, normæ & pietatis consona fiant.
M. *Quid sibi vult hic cum terras componit Olympo?*
P. *Non aliud studium est illis qui cælica longè*
Templa colunt, Domini ad nutum nocteſque, dieſque

Morigeræ

Moriger æ Cœli gaudent parere phalanges:
Tale ego per terras ſtudium mortalibus opto,
Vt Domino penitus ſe quiſque addicat, & vltro.

DOMINICA. XLI.

M. *ALtera pars ſequitur, quæ ſeſe ad noſtra remittit*
Commoda, Quid tibi vis panem poſcendo diurnum?
P. *Non nudum ſolùm victum, & vox panis amictum*
Significat, verùm vitam quodcunque quietam
Reddit, & à Domino noſter depoſtulat vſus.
M. *Cur victum petis aſſiduo ſudore parandum?*
P. *Cura Deo grata eſt, ſed quorſum cura niſi adſit*
Gratia, perpetuò humano diuina labori?
Nec vero nos pane alimur, ſed prouida nutrit
Dextra Dei, panique ſuos accomodat vſus.
M. *Cur noſtrum appellas, vel cur depoſcimus illum*
Si eſt noſter? P. *Summi certe bonitate parentis*
Fit noſter: Verùm nos iſta voce monemur
Viuere contenti noſtro, non quærere quæ ſunt
Alterius, ſuciue aliorum incumbere rebus.
M. *Cur hodie panem petis, adiungiſque diurnum?*
P. *Vocibus his geminis frugales eſſe docemur,*
Quod ſatis eſt petere, & certo moderamine victum.
M. *Num diues cuius multas induſtria brumas*
Deſpicit, annonamque in tempora longa reponit,

[illegible]tulat, inque dies victum? P. Nec pauperis horti
Agricola, aut cui lauta domi est prouisa suppellex
Ex rebus capiunt fructum, nisi dextra bearit
Omnipotens, vires illis infensior omnes
Eripit vt visum est, iterum virtute potenti
Imbuit, vt Dominis prosint qui munera norunt
Esse Dei, & grato auctorem reuerentur honore.

DOMINICA. XLII.

M. *QVidnam contineat iam quinta petitio fare?*
P. *Vt clemens nobis Dominus, delicta remittat.*
M. *Nemone tam iustus veniâ quin indiget ista?*
P. *Nemo vsquam, forma hæc Christo præscripta magistro*
Discipulis, populo est passim mandata fideli:
Nec vero sacrum Christi cognouit ouile
Qui veniæ vocem ignorat. Num oracula passim
Sacra canunt? Quicunque vno se à crimine mundum
Dixerit, is multis reus est in millibus, ante
Iudicium illius trutina qui examinat æqua.
Sola ergo nobis Domini clementia asylum est.
M. *Quonam condonat nobis dic crimina pacto?*
P. *Sic vt verba sonant voti: Nam debita Christus*
Nostra vocat, Quoniam peccato debita mortis
Præmia sunt, tetrique manent nos termina regni,
Quæ Domini nobis bonitas immensa remittit.

M. *Num*

M. *Num gratis nobis isthæc clementia præstat*
Sola Dei? P. *Certè, Nec enim nos soluere quicquam*
Pauperies ingrata sinit: Nos cedere oportet
Porro bonis, veniæque vnam sperare salutem.
M. *Quænam hinc vtilitas?* P. *Caros nos esse parenti,*
Non secus ac omni si crimine vita careret,
Nec pœnæ solùm expertes, sed certa manere
Gaudia, cælesti nobis in sede reposta.
M. *Verùm quod sequitur, nos condonare solere*
Num meriti est instar? P. *Solus nos crimine Christus*
Liberat, à merita solus nos morte redemit:
Verùm cum nobis illatæ obliuio noxæ
Serpserit, haud dubiè tum mansuetudine Christum
Exprimimus, cuius populum nos esse fidelem
Testamur, firmatque animos ea tessera nostros.
Sic contra innuitur, summo contendere iure
Velle Deum, & rigidam nobis exponere litem,
Ex animo offensas ni deponamus inulti.
M. *Num sentis quoscunque animi vindicta furentis*
Exagitat, fratrum vt nequeant ignoscere culpæ,
Ætherei prorsum natos non esse parentis.
P. *Arbitror, & certè vera est sententia Christi,*
Quæ mensura tua est, eadem te iure manebit.

DOMINICA. XLIII.

M. *Quid porro ſequitur?* P. *Satanæ abducere fraudes*
Vt velit, atque aſtu mentes ſeruare maligni,
Nec vero ſeiungo iſthæc: pars vltima primam
Explicat, & iure optato concluditur vno.
M. *Quæ vis illius eſt?* P. *Sceleri ne laxet habenas*
Omnipotens, ne de nobis infirma triumphent
Agmina, neu carnis ſeſe victoria iactet:
Quin adſit potius nobis, vt vindice dextrâ
Protegat, & contra tàm ſæuos muniat hoſtes.
M. *Quinam id perficitur?* P. *Sacri moderamine flatus.*
Illius auſpicijs freti fidenter in hoſtem
Irruimus, tergum trepidè fugientis auerni
Cædimus, & ſcelus, & carmen calcamus inermem.
M. *An cunctis dux ille opus eſt?* P. *Certamina cunctos*
Dura manent, cunctos rugientis more leonis
Circuit horrendus dæmon, ſine viribus vllis
Vtque imbelle pecus, Ni nos Deus inſtruat armis
Ad pugnam, propriâque manu fulciret inermes.
M. *Quid tibi ſignificat nomen, tentatio?* P. *Fraudes*
Dæmonis, inſidiaſque omnes quas nectere nobis
Aſſolet, haud dubiè nos illuc prona voluntas
Dirigit, vt nullo flabello accenderit hoſtis.
M. *Cur Domino fraudes tribuis, quas perditus ille*

Sata-

Satanas, imis Orci sudauerat antris?
P. Vt Dominus populum Satanæ ex iure fidelem
Vindicat, haud vlla patitur que labascere fraude,
Sic quos exodit, non illis abstrahit auram
Cælestem solùm, quæ nobis gratia dicta est,
Luminibus captos reddit, ne cernere possint
Rectum iter, inferno reprobos punire tyranno
Tradit, & ad cunctas Cacodæmonis obijcit artes.
M. Quid sibi vult tandem quæ adiecta est clausula, Reg-
Est tibi, cuncta potes, tibi cunctaq; gloria fiat. (num
P. Hic iterum instruimur, nostris fundamina votis
In solo quærenda Deo, nec fidere nostris
Viribus: ac veluti primas sibi postulat auctor.
In precibus, postrema eius sic clausula laudes
Prædicet, ac sanctum resonet super omnia nomen.
M. An nil præterea nobis deposcere fas est
Quàm quod succinctus formæ præscripserit ordo?
P. Non opus est iisdem verbis, nec more precandi
Perpetuò, sed nulla Deo est oratio grata
Quæ non huc velut archetypum referatur ad vnum:
Regula namque pijs hæc est certissima votis.

LIBER QVARTVS DE SACRAMENTIS, PATRICIO Adamsono auctore

DOMINCA. XLIIII.

M. TRes modo diuini cultus ex ordine partes
Emẽsus, Nunc quartã auibus fælicibus adde.
P. Vt nos auctorem, fontem, causamq; salutis
Esse Deum, Non solùm ima de pectoris arca
Nouerimus, verùm externæ confessio laudis
Accedat, Dominique palam testemur honorem.
M. An nulla hic norma est? P. Certè præconia laudum
Omnia, quæ sancti quondam cecinere Prophetæ.
N. An nulla huc Domini concepta petitio tendit?
P. Prima quidem: Nam cum sancto vt celebretur ho-
Diuinum petimus nomen, Facta omnia laude (nore
Prosequimur: Iudex si sontes vindicet æquus
Iustitiam efferimus, si crimina nostra remittat,
Quàm gratum dictat nobis clementia carmen!
Si seruat promissa Deus, seruata fidelem
Pacta docent, veraxque eius constantia laude
Digna sua est: Demum vastus quod continet orbis
Diuinæ præ se fert passim encomia laudis:
M. Quidnam ex prædictis infers? P. Vitã esse perennem
Nosse Deum viuum, & Christum quem misit Iesum,

Nos-

Nosse, inquam, vt semper merito obseruemus honore,
Vt Seruatorem, Dominum, Patremque benignum.

DOMINICA. XLV.

M. *QVisnam aditus recto nos illuc tramite sistet?*
P. *Hac fini, nobis sacri mysteria verbi*
Tradidit omnipotens, hæc certè ianua vera est,
Limina qua Cœli nobis augusta patescunt.
Nec vero obscurum est verbum, spiramine sacro
Imbuti, paucis vates clausere libellis.
M. *Quì verbo vtendum est, Vt fructum carpere possis?*
P. *Debemus primum amplecti ceu cælica magni*
Dona Dei, tum nos humiles submittere mentes
Conuenit, & pectus sacrata ardescere flamma:
Postremò penitus nostris infixa medullis
Vox Domini vitæ fructus producat amænos.
M. *Hæccine sunt nostri ingenij?* P. *Nullatenus inquã,*
Sed Deus in nobis sacro spiramine complet.
M. *Num nostrum est aures doctrinæ aduertere sacræ*
Assiduò, & legis sacratum euoluere corpus?
P. *Omnino, seu nos priuati tegmine muri*
Claudimur, imprimis cum Christi Ecclesia in vnum
Cogitur, vt verbi cælestes imbibat haustus.
M. *Non satis est ergo si quem meditatio pascat*
Grata domi, sacros cætus celebrare necesse est.

P. *Omnino, ſi libertate Eccleſia Chriſti*
Gaudeat, aut crudus nos non detterreat hoſtis.
M. *Quæ ratio eſt?* P. *Chriſto nobis parere monenti*
Conuenit, vt cætum populus reuerenter in vnum
Se ſiſtat, verbique ſimul myſteria diſcat:
Sic etenim creſcit ſacrati gloria Templi,
Puraque cæleſtis retinemus dogmata verbi.
M. *Ergone paſtorum nobis opus eſſe labore*
Atque miniſterio ſentis? P. *Vel maximè, ab ore*
Veriloquo illorum nobis pendere neceſſe eſt:
Nam qui deſpicit hos, Chriſtum contemnit Ieſum
Paſtorum caput, & ſacro ſeiunctus ouili eſt.
M. *Num ſatis eſt ſemel hanc doctrinam hauſiſſe ſalutis?*
P. *Non rectè eſt cæpiſſe ſatis: Nos pergere porro*
Conuenit, & Chriſti nunquam tædere magiſtri.
Porrò illum fidis munus mandaſſe miniſtris
Nouimus, vtque ſuo cunctas in nomine gentes
Inſtituant, ſubeatque vices doctrina magiſtri.

DOMINICA. XLVI.

M. *AN ſolo verbi Dominus ſe dogmata monſtrat?*
P. *Sacramenta pio coniunxit myſtica verbo.*
M. *Quid Sacramentum eſt?* P. *Diuini externa fauoris*
Indicia appello, verbum nunc mollit vſus,
Viſibili ſigno quæ ſpiritualia adumbrant

Munera,

Munera, & obſignant noſtræ promiſſa ſalutis.
M. *Atqui hæ ſunt flatus partes, nos reddere certos*
Ante Deum, & ſolida ſpe confirmare ſalutem.
P. *Agnoſco. Verùm magno hæc diſcrimine diſtant:*
Solus enim Dominus ſacro torpentia flatu
Corda mouet, cæcæque hominum illuceſcere menti
Eſt eius ſolius opus, firmare ſalutem
Non alius poterit dubio n. fluctuet æſtu:
Sacramenta autem quid ſunt niſi inania tantum
Symbola, ni Chriſtus vires accommodet auctor,
Ac inſtrumenta hæc ad ſacros applicet vſus.
M. *Cur ergo inſtituit Dominus?* P. *Quò fulcra manerent*
Infirmæ nobis fidei, ſi terrea abeſſet Congeries, Qualeſue animi cæleſtibus eſſent,
Vana rudimenta hæc fierent: Nunc corpore preſſi
Talibus omnino, mentem ad ſublimia fulcris
Tollimus, & Cœli dotes comprehendimus altas.
Atque adeo eſt, Domini quaſi perſentiſcere fœdus
Vtile, quo melior mentes fiducia firmet.

DOMINICA. XLVII.

M. *CVm Sacramenta in noſtros prouiderit vſus*
Hoc exercitium num prætermittere fas eſt?
P. *Non equidem: Nam qui faſtu contemnit inani*
Auctorem ſpernit Chriſtum, veniæque recuſat
Spem ſtolidus, ſacrique extinguit flaminis ignes.

M. *Quomodo nos animi reddunt mysteria certos*
Quæ sumunt etiam praui communiter omnes?
P. *Quamuis gens expers fidei sibi Symbola reddat*
Irrita, & oblatæ spernat promissa salutis,
At qui participat verè, Christumque requirit
In Sacramentis vis effectusque sequuntur.
M. *Quomodo in his Christus nobis quærendus Iesus?*
P. *Visibili primum mentes defigere signo*
Non patitur, quasi vis illic occulta lateret,
Clausaue in externis esset virtus elementis:
Sunt fulcra hæc tantum fidei, quibus aduolet alis
Ad Christum, viuoque eius de gurgite libet
Fontis inexhausti laticem, lymphasque salutis.
M. *Sacramentorum verus si postulat vsus*
Rite fidem, Cur hæc fidei munimina dicis?
P. *Non satis est primum fidei contingere limen,*
Pergendum est porro, fidei incrementa petenda
Ex Sacramentis. Diuus signacula Paulus
Illa vocat, nostræ firmant quia pacta salutis.
M. *Hoccine diuinis prorsum est diffidere pactis*
Externi nobis fulcimina quærere signi?
P. *Infirmæ est fateor fidei, perfectio verùm*
Non hominum cuiquam mortali in corpore constat,
Corruptæ insedit sic diffidentia carni.
At nos his contra fulti contendimus armis,
Inque fide semper passu procedimns aucto.

DOM-

DOMINICA. XLVIII.

M. QVot Sacramenta in credenti Eccleſia habemus?
P. Omnino duo, quæ cunctis communia Chriſtus
Inſtituit, Baptiſma inquam, ſacrámque ſynaxin.
M. Quid ſimile eſt illis, quonam diſcrimine diſtant?
P. Baptiſmo Chriſti nobis reſeratur ouile
Occluſum prius, extorres admittimur albo
Seruorum, atque manu propria in penetralia ducit.
At nobis poſtquam ſacrata in tecta recepit
Suppeditat victum aſſiduò, quem myſtica cæna
Exhibet, æternæ præbens pia pabula vitæ.
M. Verùm hæc vt pateant melius, Baptiſma ſeorſum
Aggrediar. Quidnam ſibi vult Baptiſma? P. Duabus
Partibus id conſtat. Nanque & peccata remitti
Noſque iterum ſancto naſci ſpiramine ſignat.
Nec vero caret hoc cauſſa: Nam vt corpore ſordes
Eluimur cunctas mundæ purgamine lymphæ,
Sic animi eſt veluti quædam quoque lotio, Chriſti
Sanguine, quæ veniæ peccatum oblitterat amne.

DOMINICA. XLIX.

M. QVo pacto ſimilis lympha eſt, iterum genituræ?
P. Quòd caput immerſum tegitur ſtillantibus vndis

Id ſceleris prorſum labi nos eſſe ſepultos
Significat: verùm ſubitò quum ſe exerit vndis
Forma nouæ vitæ eſt: Certè hic quem diximus ortus
Partibus his conſtat, tota vt corruptio ceſſet
Mortua, & integræ carpamus gaudia vitæ.
M. *Num noſtras purgat mentes reſperſio lymphæ?*
P. *Nequaquam, ſolo Chriſti perfuſa cruore*
Pectora deponunt maculam, reſperſio flatus
Eſt munus, nobis illud Baptiſma figurat.
M. *An nihil in lympha niſi vis externa figuræ eſt?*
P. *Effectus certè ſequitur, promiſſa fidelis*
Irrita non ſinit eſſe Deus, peccata remittit
Protinus, & recto moderatur tramite vitam:
Nam quamuis ſibi non fidi myſteria reddant
Irrita, credenti rectus ſentiſcitur vſus.
M. *Vnaè nouus nobis partus?* P. *Quia mortuus olim*
Ipſe reſurrexit Chriſtus, mors eius Adamum
Affixitque cruci veterem, clauſitque ſepulchro.
Quòd vero vitæ nouitas non ficta ſequatur,
Id nobis tribuit rediuiui gratia Chriſti.
M. *Quinam hæc contingunt?* P. *Chriſti veſtimur amictu*
Et ſacrum induimus flamen, niſi corde prophano
Oblatum ſigno Domini aſpernemur amorem.
M. *Quid ſupereſt ergo Baptiſmo vt rite fruamur?*
P. *In vraque fide, reſipiſcendique recumbit*
Toto animi ſtudio, rectus Baptiſmatis vſus.

Primùm,

Primùm, certa animos firmat fiducia Chriſti
Sanguine, ne ſcelerum infirmos perterreat horror:
Tum ſacrum flamen vitæ moderatur habenas,
Et fidei educit gratos è palmite fructus.

DOMINICA. L.

M *CVm res ſic habeat, cur lymphis parua lauamus*
Pignora, cur teneris infantes tingimus annis?
P. *Non opus eſt ſemper præeat fiducia præſens,*
Et reſipiſcendi ſtudium Baptiſma: ſed illa
Rite petuntur ab his qui ſunt ætate capaces:
At pueris poſtquàm veniens adoleuerit ætas,
Baptiſmi vim noſſe ſui ſatis eſſe putamus.
M. *An nihil hic eſſe abſurdi ratione probabis?*
P. *In promptu ratio eſt: Nam circumciſio ſignum*
Fœderis antiqui fuerat, quod protinus omnes
Infantes primis Domino ſacrauerat annis.
Quid? quod diuinus Paulus fidei eſſe ſigillum
Patribus affirmat veteris ſub tegmine legis?
M. *Eſtne eadem ratio?* P. *Certè, Promiſsio facta*
Iſraeli olim, Nunc Chriſti munere toto
Orbe valet, mundique plagas complectitur omnes.
M. *Par nè igitur ſigni eſt vſus?* P. *Concluſio certa eſt:*
Sic texo. Populo quondam promiſsio facta
Iſraelitico, Nunc Chriſti munere nobis

Auctior est: Verùm, soboli ni signa paterent,
Esset conditio renouato fœdere peior,
Et Christi aduentus minuisset dona salutis.
Atque equidem non parua animos fiducia fulcit
Cum nostros illi infantes curæ esse videmus.
M. *Sic populi Hebræi, sentis, infantibus olim*
Corporis impresso testatum stigmate fœdus,
Æquum igitur Christo exhibito quoque pignora nostra
Diuini externum sentiscere pignus amoris.
P. *Sic prorsus, Nam cum Baptismi munia certum est*
Vimque eius teneris communem infantibus esse,
Iniusta est certè externi priuatio signi.
M. *Cur ergo teneros sacro libamine natos*
Tingimus? P. *Hæredes eius testemur vt esse*
Quem nobis Domini bonitas promisit amoris:
Vtque ipsi matura olim quum venerit ætas
Percipiant, promantque sui Baptismatis vsum.

DOMINICA. LI.

M. *NVnc super est nobis sacram tractare synaxin,*
Quidnã significet? P. *Christi nos corpore pasci, ac*
Sanguine, vt illorum nostras communio mentes
Educet in vitæ spem, solamenque beatæ.
M. *Cur panis corpus signat vinumque cruorem?*
P. *Quòd panis carni confert, è corpore Christi*

Mens

Mens capit, æternæ nimirum pabula vitæ.
Ac veluti nobis grati vis læta lyei
Corda fouet, pectusque hilari libamine firmat:
Sic animis quoties virtus sublapsa resurgit,
Effuso vires Christi de sanguine manant.
M. *Num sentis verè nos corporis, atque cruoris*
Participes fieri? P. *Nil quicquam certius illo est.*
Nam cum de Christo nostræ spes tota salutis
Pendeat, ac eius nobis accepta feratur
Iustitia, integrum mentes apprehendere Christum
Est opus, vt solidæ carpamus pabula vitæ.
M. *Sed nunquid Christus nobis est munere mortis*
Traditus? P. *Haud dubiè, sed quorsum passio prodest*
Ni fructum latebris animi sentiscimus imis?
M. *Num fidei hoc tribuis?* P. *Non solum quatenus eius*
Credimus in mortem, & rediuiui munera Christi
Speramus nobis vitam allaturа perennem:
In nobis habitat Christus, nos membra subimus,
Ille caput, firmaque sibi compagine iungit
Quoscunque æternæ dignatur munere vitæ.

DOMINICA. LII.

M. *NVm solùm extremæ hoc præstat communio cænæ?*
P. *Non equidem. Certè sacrati concio verbi*
Nos Christo adiungit, nos ossa ex ossibus eius
Reddit, & in carnem verè coälescimus vnam.

Quin vitæ ſeſe, verbi hoc fit munere, panem
Nominat, ac Cœlo dicit veniſſe ſupino.
Atque alibi, fidos ſecum coaleſcere in vnum,
Æthereo veluti coniungitur ipſe parenti.
M. *Num quid præterea Cænæ communicat vſus?*
P. *Baptiſmo, Chriſti, fateor, veſtimur amictu,*
Vox Euangelij nos vno corpore iungit.
Verùm hæc vberius ſacræ communio Cænæ
Exhibet, ante oculos mortis myſteria pandens.
M. *Dic ergo in ſacro quid pignore panis habemus?*
P. *Vt Chriſti æterno ſemel eſt oblata parenti*
Victima, ſic eius nobis communicat eſum
Vt Credenti parta reconciliatio profit.
M. *Quid vero in vini patera?* P. *Demonſtrat Ieſum*
Crimine pro noſtro largum fudiſſe cruorem
Potandum nobis, fructum vt ſentire queamus.
M. *Hinc facilè apparet ſacræ myſteria Cænæ*
Nos veluti dextra, ad Chriſti deducere mortem.
P. *Omnino, Siquidem ſola hæc æterna ſaluti*
Victima ſuffecit noſtræ, Nihil amplius ergo
Nunc ſupereſt, tanto niſi dono vt rite fruamur.
M. *Num Chriſtum fas in Cæna eſt offerre parenti?*
P. *Non ita: perpetuo Chriſtus ſe iure Sacerdos*
Obtulit, haud alias iterum mactandus ad aras.
Ille ſuæ nobis eſum tantummodo carnis
Imperat, atque fide ſacrum potare cruorem.

DOM.

DOMINICA. LIII.

M. *CVr duo signa adhibet? P. Certè sic mentibus ægris*
Consuluit, panemque simul vinumque ministrat,
Vt plenam à Christo norint sperare salutem.
M. *Num calicis cunctos spectat communiter vsus?*
P. *Haud dubiè, Christus proprio sic imperat ore,*
Cuius mandatis scelus est immane reniti.
M. *Num Cœna istarum rerum est vmbratile signum,*
An verè, nobis præstat quodcunque figurat?
P. *Non vana verax nos Christus imagine ludit,*
Vimque adhibit signis, nosque eius corpore vero
Vescimur, & sacri potamus sanguinis vndam.
M. *Quì fieri hoc poterit, Christus quum cælica Patris*
Regna colat, longè peregrinis dissita terris?
P. *Hæc sacri vis est flatus quam nulla capedo*
Separat, vt spatio iungat distantia longo.
M. *Non ergo Christi sentis sub pane latere*
Corpus, nec viuum calicem præferre cruorem.
P. *Non equidem, Sursum nostras attollere mentes*
Conuenit in Cælos, vbi Christus regnat Iesus,
Vndè etiam aduenier iudex æquissimus olim.
Nos illuc ferimur fidei pernicibus alis,
Et Christi haurimus sudantem vulnere costam.
M. *Sic sentis, binas Cœnæ mysteria partes*
Amplecti: primam externo constare elemento
Pane inquam & vino: cælestis gratia, pars est
Altera, & oblati nobis pia munera Christi.

P. *Certa adfers. Quin & nobis hoc pignore conſtat*
Experrecturum tandem de puluere corpus,
Quatenus æternæ percepta eſt arra ſalutis.

DOMINICA. LIIII.

M. *QViſnam germanus Cænæ præſcribitur vſus?*
P. *Diuinus monſtrat Paulus: tentetque, probetque*
Quiſque inquit ſeſe, Cænæ qui pabula ſacræ
Expetit, ac epulis vult dignè accumbere tantis.
M. *Quinam id conſtabit?* P. *Si nos viuacia Chriſti*
Membra ſumus; fidei primum tentanda latentis
Vis eſt, num tota ad Chriſtum fiducia tendat.
Tum, num pæniteat ſcelerum, veniæque parata
Spes animo fixa eſt: cari poſtrema propinqui
Pars etiam inuidiæ expertem depoſcit amorem.
M. *An perfecta fides, & par dilectio nobis*
Poſcitur? P. *Integram certè, fucoque carentem*
Quærimus, at longè noſtras perfectio vires
Exuperat, Nec eam Cænæ depoſtulat vſus.
Quin etiam incaſſum Chriſtus myſteria Cænæ
Inſtituit, ſi quem perfectio tanta bearet.
M. *Non ergo à ſacro Cænæ depellimur vſu*
Imperfecto animi vitio? P. *Nam mentibus ægris*
Subſidium eſt, fulcitque pio medicamine vires.
M. *Non alios ſeruire putas myſteria in vſus?*
P. *Sunt equidem externi nobis inſignia cultus,*
Queis ſoli nomen Chriſto tribuiſſe Magiſtro
Teſtamur, fictoſque orbis contemnere dinos.

M. *Quo*

M. *Quo tandem numero est, hæc qui mysteria temnit?*
P. *Non ego christicolam credo, sacræue dicatum*
Militiæ, qui Sacramento astringere sese
Nolit, & egregijs fidei vestirier armis:
Exauctorandus certè est, qui signa negabit
Sacra sequi, atque pio clam sese surripit albo.
M. *Num toto semel hæc sumpsisse in tempore vitæ*
Sufficiet? P. *Semel imbutum suffecerit vndis,*
Nec fas est iterum sacro Baptismate tingi.
At sacræ non hoc poscunt mysteria Cænæ.
M. *Quæ ratio est?* P. *Aditus nobis Baptismate Christi*
Panditur, inque eius tincti censemur ouili:
At semel admissis, diuturni pabula victus
Suppeditat, crebróque suis alimenta ministrat.

DOMINICA. LV.

M. *Quisnam ille est fidis qui Sacramenta ministrat?*
P. *Cui mandata palam est Sacri prouincia verbi:*
Nanque hæc continua secum compage cohærent.
M. *Hæccine Scriptura nobis testante probabis?*
P. *In promptu est. Proprio Christus sic imperat ore*
Ite, Salutifera hæc toti præconia mundo
Pandite, credentes quicunque aduerterit aures,
Et sacri tinctus fuerit libamine fontis
Saluus erit: quid quod postremæ munere Cænæ
Defunctus, sua nos memores vestigia mandat
Pone sequi: Ast illic Christus se rite ministrum
Præbuit, & caris Cænam diuisit amicis.

M. *Num qui ſacra pij paſtores ſymbola tractant*
Non habito quoſuis delectu admittere fas eſt?
P. *Infantes quoniam ſolos Baptiſmatis vnda*
Tingimus, haud vllum fas eſt ſecludere lymphis.
At ſacrum caueat paſtoris cura ſynaxin
Polluat, aut cunctis proſtent myſteria Cænæ,
Quos praua impietas Chriſti ſecluſerit albo.
M. *Atqui ipſe in Cæna non dedignatus Iudam eſt?*
P. *Vt verum fatear, tamen haud eruperat eius*
Impietas, Chriſtus tectum quod corde latebat
Conſcius, At reliqui nil cognouere miniſtri.
M. *Quonã igitur numero eſt nobis ſimulator habendus?*
P. *Non eſt arcendus Cæna dum tecta pateſcat*
Impietas, verùm ſacros ne illudere cætus
Pergat, poſcendus Deus eſt vt detrahat ori
Perſonam, ſcelus vt toti ſe proferat orbi.
M. *Quid ſi ipſi tandem ſit non ignota miniſtro*
Impietas, quid ſi monitus reſciuerit ante?
P. *Non equidem ſatis eſt, certè res teſtibus iſta*
Indiget, & ſacri iuſto moderamine cætus.
M. *Sancta igitur Chriſti num debent ordine certo*
Templa regi? P. *Quidni. Totius nomine cætus*
Inſignes pietate viri cenſoria ſumant
Munera, ne ſceleris quoquàm contagio ſerpat.
Hij procul à ſacris epulis arcere prophanos
Debent, Chriſticolas inter qui noxia gignunt
Scandala, & irritant ſupremi numinis iras.

FINIS.

DE PAPISTARVM SVPERSTITIOSIS INEPTIIS.

Patricij Adamsonij Scoti,

Poetæ carmen.

MATTH. 15.

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus Cœlestis, eradicabitur.

LONDINI
Apud Ioannem Billium,
Anno 1618.

AD LECTOREM PIVM.

SVperioribus his diebus, quum in Septentrione peregrinarer, promouendi Euangelij gratia, ne in ſummo ocio nihil agerem, Papiſmi craſsiores aliquot abuſus carmine deſcripſi. Ea verò ne clam apud Papiſtas Abirdonenſes latèrent, in lucem ædenda curaui, néue tantillũ fructus qui ex his verſibus prodire poterit, alijs eiuſdem ſectæ hominibus, inuiderem. Tuum autem erit candide lector, beneuolo hos verſus animo amplecti, donec cultiora de rebus grauioribus in manus tuas veniant. Datum Sanctiandreæ 4. Calendas Septembris: Anno 1564.

Ex pædagogio.

Vale.

AD PAPISTAS ABIRDONENSES.

Demiror quæ vos Papistæ insania vexet, Papistæ insani.
Aut quo transuersæ rapiantur turbine mentes:
Vt spreto Domini verbo, iussisque tonantis,
Humanas alto figatis pectore leges.
Papa caput cœtus vestri est, qui temperet orbem, Dist. 40. can. si Papa.
Iura ferat, cœlum pendat, dominetur Olympo,
Exoluat que animas pœnis, atque imperet Orco.
Scilicet id monstri tetro quod Tartarus ore
Expuit, at atris ructauit faucibus, ille Apoc. 9.
Perditus, & quo non Christo capitalior hostis;
Tantus erit Christumque suo spoliabit honore.
At vero vobis quæcunque est forma colendi
Numinis, & quicquid pro relligione tenetis,
Fluxit ab hoc monstro, & cæcum manauit in orbem.
Parturijt nanque hoc monstrum, peperitque per orbem
Idola, erexitque omnes veneranda per aras: Pepererunt Papæ mosculi.
A que illis falso fieri miracula finxit,
Vt genus humanum mira deluderet arte.
Atqui id lege Deus vetuit. Sceleris que nefandi Exod. 20.
Artificem, terrena ausum simulacra tonanti Deut. 4.
Ponere, vel formam rebus finxisse creatis, Psal. 115.
Vt Satanæ in laqueos princeps turba insscia veri
Irruat, vtque colat sculptum de marmore numen.

Iesa. 44. Idolum magis portentosum quam peperit Ioanna Papa feminini generis. dist. 23. can. prohibet.

Talem inquam artificem Deus execratur, opusque.
Præreliquis verò horrendum, ac mirabile visu
Idolum, plena postquam intumuisset ab aluo
Emisit: quod passim omnes pro numine adorent.
MISSA illi nomen, quam non nisi vertice raso
Bellua, Papalique oleo perfusa celebrat.
Res arcana quidem, sed qua non aptior vlla
Fabula, si ridere velis, spectanda theatro.
Sternitur altare, attonitus longo ordine circum

Missa, Theatricum spectaculum.

Stat populus, pergit tum personatus ad aram
Histriose inclinans terræ, tum pectora planctu
Tacta gemunt, mœret populus, templumque remugit.
Tum verò innumerum crucibus signare recuruis

Sacerdos est incantator.

Altare, & crebro videas dare frigida saxo
Oscula, seu magicas incantamenta per arteis.
Nam modò qui vidit, clausis conniuet ocellis,

Simiam emulatur sacrificus.

Quique prius vasto repleuit templa boatu
Subticet, & presso canonem dimurmurat ore.
Et modò distendit latè, modò brachia nectit,
Et modò ad hanc partem altaris, modò vergit ad illam:
Et modò se ad populum, modò se conuertit ad aram.
Pendula tum cauda, & dimisso syrmate lambens

Cauda sacrificiorecta.

Tellurem, ad clunes, paucis tinnitibus æris
Erigitur, populumque ad seria sacra frequentem
Conuocat, ille autem tensis ad sydera palmis,
Numinis aduentum fixisque expectat ocellis.

Tum

Tum verò geritur res auguſtiſſima, nanque
De modico fit pane Deus, (chriſtùmq; relicta
Sede poli, pauco verborum murmure, cœlis
Euocat, & panis tereti concludit in orbe.
Iamque nouum numen ſupra caput altius effert,
Et calicem, ſonitu quem coniurauit anhelo.
Turba autem ſeducta, Deum ſub pane latentem,
Prona colit, trepidanſque illi largitur honorem.
Indè ſuo myſtes colludit numine, tanquam
Quem catus apprehendit murem, prius ordine certo
Circuit, & geſtit prædæ colludere, quem poſt
Deuorat, atque auidè ſubtus præcordia condat.
Non aliter myſtes ſeſe oblectatur in iſto
Numine, dum varijs imitatur protea formis.
Et modò veſte tegit munda, modò veſte retecta
Effert, & patulas educit numen ad auras.
Hiſque vbi defunctus curis, dat membra quieti,
Vt ſomno feſſos paulatim emolliat artus.
Vidi ego quondam infans primæque ætate iuuentæ
Ad muſas quum me puerum miſere parentes,
Sacrificum poſtquam ſomno deſertuit, alta
Voce, ſuam lænam paſsim ingeminare per aras.
Quin & odoriferi efflauit crepitacula thuris,
Et ſacro ſacras aras perfudit odore.
Quis crepitus mihi tunc animis dixere leuamen
Eſſe pijs, vexat quas Purgatorius ignis.

Sacrificij hac ratione ſuperant Angelos.

Figura rotunda eſt capaciſſima.

Sacerdos Cato comparatur.

Dormit ſacrificus. Dur. rat. lib. 4. Rub. de ſeru. thurif.

Crepitus ſacrificij refrigerat animas in Purgatorio.

Quas flatus iuuat, ingentemque refrigerat æstum.
At postquam somno satis, & se gestibus istis
Indulsisse videt, seque expleuisse choreis:
Tum crucibus calicem signat, tum fissile numen
Partitur, pars vna iacens submersa falerno,
Sulphureo manes mersos solatur in igne.
Quæ restant, conuexa poli, & terrena, colentes
Significant animas, quas omnes dente tenaci
Deuorat, atque auida mystes ingurgitat aluo.
Tum lambit digitos, digitis tunc obserat aures,
Ne collisa crepent Christi quæ conterit ossa.
Iam vero ad finem properant mysteria: tanquam
Quem canis in campis leporem venaticus vrget,
Elusis tandem cunctis ambagibus, ore
Corripit, & nactus leporem, prædâque potitus
Desinit, atque illic capiunt spectacula finem.
Non aliter mystes quum longa indagine cinxit
Altare, & plenis velis per munda cucurrit
Atria, iam nactus numen, lingensque cruorem,
Concludit Missam; toto se corpore vertens
*Ad populum, pocloque illis * valedicit inani.*
Se vero populus qui scænica sacra frequentat,
Quot graditur passus tantum meruisse salutis
Credit, totque animas purganti absoluere ab igne:
O cæcas hominum mentes, O pectora dira
Tacta lue! quisnam tenebroso Dæmonis antro

Diuisio Dei missatici prohibetur de cons. dist. 21. ca. Quũ omne.

Os non comminuetis ex illo. Exod. 12.

* alias maledicit.

Papa prodijt ex inferis.

Exijt,

Exijt, infecitque iſtis erroribus orbem?
Natus erat Chriſtus pura de virginis aluo,
Pro mundo paſſus ſemel eſt, nunc incolit aſtra:
Num fiet de pane iterum mactandus ad aras, Matth. 1. Hebr. 7.
Eque Sacerdotis fœdo exhalabitur ore?
Ergo Creatori nulla eſt obnoxia lege
Turba iſtæc: quos ille ſemel ſeu cætera cuncta
Fecit, vitaleſque ſemel produxit in auras.
Hij vero cunctis Chriſtum de pane diebus
Efficiunt, reddunt que vices, vincunt que creando.
Omnia præclarè; niſi quod gens effera, numen
Quod fecit coluitque, voraci abſorbeat ore;
Et cacet, & paruo momento in ſtercora vertat. Crudelitas Papiſtarum in ſuum Deum.
Abſit, & à vobis procul hæc commenta faceſſant.
Nanque ſua in cœna Chriſtus chariſſima mortis Matth. 26.
Pignora, panem illum, nobis vinumque reliquit.
Non vt cœleſtem induerent mortalia Chriſtum,
Non vt pro populo myſtes offerret ad aras,
Non vt pro ſcabie ſacraret ouilia miſsis;
Non etiam vt magna vulgi comitante caterua
Compita luſtraret numen: vel pyxide clauſum
Contraheret vermes; vt poſt altaria tandem
Hæretico vitam miſeram finiret in igne. Concilio Ameli. cap. 5.
Cur ergo corpus vocitat? quia myſtica ſigna
Sæpe à ſignatis deſumunt nomina rebus.
Nec nos nuda tamen vobis ſic ſigna fatemur: Corpus Chriſti in cena.

Sed verbo coniuncta Dei quodcunque figurant
Efficiunt, & nos sacrato corpore Christi
Confessio Berengarij. *Vescimur, atque fide in corpus coalescimus vnum.*
Vos illic stomachum, dentes, atque ora paratis.
Nostra fidem, purumque animum doctrina requirit.
Iesaiæ 56. Matth. 22. *Carne inopis vesci princeps, populique cruorem*
Pauperis ebibere arguitur, quum sæua Tyrannis
Illius premit angusto sub tegmine plebem
Emungitque bonis, & opes exhaurit egenti.
Non aliter, si praua licet componere rectis
Christum edimus, quum nos inopes ditissima Christi
Munera, cœlestem vitam patrisque fauorem
Placati accipimus, tranquilla & pace beamur.
Ergo abeant nugæ quas turba Scolastica finxit
Et Sorbona loquax tumido delitigat ore:
MISSA *abeat, repetat Romam: tuque aurea Papæ*
Progenies, scelerum excoctrix, & crimina purgans
Flamma vale: quoniam carnis compage soluta
Luc. 16. cap. *Scandimus in cœlum, aut tenebris inuoluimur atris.*
Nam meritis nostris patet atri ianua ditis.
Nec nos nostra tamen sublimis ad æthera virtus
Euehit, aut meritis patet alti ianua cœli.
Rom. cap. 3. *Sic etenim Christus gratis venisset in orbem,*
Mortuus & frustra passus tormenta fuisset.
Vaticinium Lutheri. *Bergensi, si vera fides memorantibus, augur*
Colle sedens, signa obseruans coëuntia signis,

Et totum pluuiæ cœlum concurrere nexu,
Imbriferis orbem periturum dixit ab vndis.
Qualis erat terræ facies, quum tempore Noah,
Iuppiter ex altis iaculatus nubibus imbrem,
Perdidit humanam gentem: niſi ſemina mundi
Arca animas octo tumidis ſeruaſſet in vndis.
Iamque dies funeſta aderat, pars culmina montis
Scandere, pars curuis committere vela carinis
Credere ſe pelago, & latum volitare per æquor.
Abdere ſeſe antris alij, mens omnibus vna
Venturam ſperare necem, tum callidus ille
Papæ hoſtis rimam occultam Lutherus in vnda
Perforat, illa autem laxis decurrit habenis,
Sternit iter curſu, tum ſubter lapſa meatus
Terreſtres, curſum purganti: ſiſtit in igne.
Sulphuris extinguit venas, flammamque calentem
Obruit, illa autem vi circumfuſa paludis
Algebit ſemper glaciali frigore vincta:
Nec miſero manes poſthac aſſabit in igne.
At belle vobis iſta ratione triumphum
Occinitis. pleno cur fuſa eſt copia cornu
Sanguinis è Chriſti venis, quum guttula mundum
Vna redemiſſet? paſſa eſt cur turba piorum
Martyrium propria qui plus meruere ſalute?
Cur? niſi Papali ſint exuperantia facta
Credita theſauro, poſt diſpenſanda per orbem?

Achillea Papiſtarum vnde parta indulgentia.

Scilicet intererit Christus nil Martyre, cuius
Sanguine placatus Pater est, mundoque rebelli
Pax data, & æterna sancita est fœdere, quique
Non gutta sese, sed pleni sanguinis vnda,
Morigerum ad mortem voluit præstare parenti.
Apoc. 4. Illi autem Christi quos longa, & candida vestis
Circuit, haud sese meritos quid tale fatentur.
Sed strati ante pedes agni posuere coronas,
Et prece nocturna laudant, laudantque diurna.
At te Papa ferox, monstrum crudele, tuamque
Apoc. 6. ca. Deuouet exitio gentem, pia turba sub ara
Degens, & pœnas effusi sanguinis à te
Postulat, & lachrymis Dominum compellat obortis.
Quin Deus exurgis noster, quin vindice dextra
Deprimis hostiles turbas, gentemque rebellem
Conteris, an semper mortem patieris inultam
Sanctorum, rabies quos sustulit Antichristi?
Ille tuas leges, sacri dictamina verbi
Spernit, dumque tuus vult esse vicarius, ecce
Vt totum proprias sub leges miserit orbem.
Arma papistarum. Quas nec Scriptura, nec vultratione tueri,
Sed ferro: sæuoque parat defendere marte.
Quin Deus exerces iram, celsumque tribunal
Conscendis iudex, vt tandem pondere eodem
Accipiat quo mensus erat: mundusque perosus
Iustitiam, sanctosque tuos intelligat illos

Esse

Eſſe tibi curæ, quorum tua dextra cauſam
Vindicet, ac hoſtes æterna nocte ſepultos
Mittat ad infernum, ac Erebi detrudat ad vmbras.
Sed tua fraus recto Phariæos agmine patres
Inſequitur, cæſis qui Mauſolæa Prophetis Matth. 23.
Erigere, & damnare patrum ſic facta ſolebant:
Cum tamen ad ſeſe miſſos gens impia vates
Mactaret, vatumque maderent ſanguine dextræ,
Non aliter paſsim ſacras ſimulacra per ædes
Extruis, atque calent altaria thure Sabæo
Sanctorum, miris quorum monumenta decoras
Portentis, quorum afflictis vis nomina rebus De conſ. diſt. 2. caſ. Semel.
Auxiliumque, & opem populum implorare per aras.
Scilicet illorum cædem execraris, & illos
Carnifices, auſos manibus violare nefandis
Corpora ſanctorum, & crudeli tradere morti:
Cum tibi gens nulla eſt, fera beſtia nulla, nec vllum Papa Immanis beluа.
Portentum, cuius non eſt ceſſura Tyrannis.
Non tot clara micant Hyberna ſydera nocte,
Nec tot alit piſces æquor, nec copia arenæ
Tanta, per vndoſi diſperſa eſt littora ponti:
Quot tua dextra animas crudeli morte peremit
Æterna, ingentem turbam, qui dogma ſequuti
Peſtiferum, fictis Dijs libauêre per aras,
Proque Deo vero panem & ſimulacra colebant.
At quanuis lentis ſanctorum corpora flammis Mat. 10.

CONFESSIO FIDEI, ET DOCTRINÆ, PER ECCLESIAM REformatam Regni Scotiæ receptæ; Exhibitæ ordinibus Regni eiusdem in publicis Parliamenti (vt vocant) comitijs, & eorum communi consensu approbatæ, vti certissimis fundamentis verbi Dei innixæ, & consentaneæ,

Per Patricium Adamsonum descripta,

Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo.

1. Cor. 3.

Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est: Quod *est Christus Iesus.*

LONDINI
Apud Ioannem Billium.
Anno 1618.

ORDINES AC STATVS Regni Scotorum qui Christum profitentur, cæteris Scotis, Regnis item & Nationibus exteris eündem Christum Iesum *profitentibus, gratiam, misericordiam & pacem à Deo Patre Domini nostri Iesu Christi, vnà cum Spiritu Iustitiæ, ac recto Iudicio.*

Iampridem optabamus, fratres Charissimi, vt eius quam profitemur, ac propter quam ignominiæ & periculis toties obiecti fuimus, doctrinæ ratio (si fieri posset) orbi terrarum clara existeret. Sed is fuit Sathanæ furor, non modo aduersus nos, sed aduersus ipsum Iesum Christum, & æternam eius nuper hic renatam veritatem, vt ad hunc vsq; diem non licuerit (id quod vnicè optabamus) nostram vobis hisce de rebus dilucidè explicare sententiam. Maior enim (vt arbitramur) Europæ pars non ignorat, quibus toto superiore anno fuerimus afflicti calamitatibus. Nunc autem cum immensa Dei bonitate (qui sæpe premi, nun-

quam penitus opprimi ſuos patitur) tranquillitatis, & libertatis non nihil illuxerit, non potuimus nobis temperare, quò minus hanc breuem, & dilucidam ederemus Confeſsionem eius doctrinæ, quæ nobis promulgata fuit, quamque nos & perſuaſam habemus, & profitemur: partim vt medicaremur fratrum noſtrorum animis, in quibus adhuc procul dubio inhærebant veſtigia vulnerum, quæ ex eorum qui nondum rectè loqui didicerunt, ſcurrilibus acceperant conuitijs: Partim vt os obſtrueremus quibuſdam impudenter blaſphemis: qui, quæ nec audierunt vnquam, nec ſatis intellexerunt, ea confidenter damnare non erubeſcunt. Neque tamen id eò facimus quòd aliquando fore ſperemus, vt inueterata illa peſtis, hac noſtra ſimplici, & nuda confeſsione ſanari poſsit. Præſertim cùm non ignoremus ſuauem Euangelij odorem, filijs perditionis lit. ferum futurum: ſed quòd fratrum infirmorum rationem habendam duceremus: cum quibus ſententiam noſtram, velut ex intimis animi penetralibus prolatam, communicandam eſſe putauimus, ne videlicet perturbarentur, aut etiam auferrentur variorum rumorum ventis, quos Sathan aduerſus nos excitarat, vt noſtrum illud ſanctum, ac pium eluderet conſilium. Denunciamus igitur, omneſque adeò rogamus, ſi quis aut caput aliquod, aut etiam ſententiam cum ſancto Dei verbo pugnantem hîc animaduerterit,

uerterit, vt pro pro ſua humanitate, proque eo amore, quo Chriſtum, Chriſtique gregem proſequitur, nos per literas admoneat. Id qui fecerit, ſanctè ei repromittimus, nos eidem, aut ex ore Dei, hoc eſt, ex ſacræ Scripturæ oraculo ſatisfacturos, aut quod ſecus à nobis dictum demonſtrauerit, emendaturos. Deum enim noſtrorum conſiliorum conſciũ atteſtamur, quòd ab omni praua hæreſi, atq; adeò erroneæ aſſertionis authoribus, animo abhorremus: quod cum ſumma humilitate Euangelij Chriſti puritatem amplectimur, qui vnicus eſt noſtrorum animorum cibus: atque ideò eó vſque carus, vt decreuerimus omnia quæ poſſunt humanitus euenire potius experiri, quàm vt nos eo cibo fraudari patiamur. Perſuaſiſſimum enim id habemus, quod quemcunq; Chriſti puduerit, aut qui eum coram hominibus negauerit, hunc ille coram Patre, ſanctiſque eius angelis negabit. Atque ideò eiuſdem Domini noſtri omnipotentis Ieſu Chriſti præſenti ope freti, in animo habemus, in huius noſtræ fidei, cuius Capita ſequuntur, confeſſione perſeuerare.

CONFESSIO FIDEI.

De Deo.

CAP. I.

CONfitemur, atq; agnoſcimus vnicum Deum: cui vni adhærere, vni ſeruire, quem vnum colere debeamus. In quo vno collocemus omnem ſpem ſalutis. Eundem etiam credimus æternum, infinitum, immenſum, incompræhenſibilem, omnipotentem, inuiſibilem, eſſentiâ quidem vnum, in tres autem diſtinctum perſonas, Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum. Per hunc Deum aſſeueramus atque etiam credimus, quæcunque viſibilia aut inuiſibilia Cœlo terraque continentur, creata eſſe, conſtare, & inſcrutabili eius prouidentia regi & gubernari: Omniaq; eó referri, quò eius æternæ ſapientiæ, bonitati & iuſtitiæ viſum eſt: Nempe ad gloriæ Maieſtatiſque ipſius illuſtrationem.

Deut. 6. *Iſai. 44.*

Deut. 4.

Matth. 25.

Prou. 16.

De creatione hominis.

CAP. II.

CRedimus item & confitemur, ab hoc noſtro Deo, hominem, id eſt humani generis primum

Gen. 1, 2, 3. primum parentem Adamum ad imaginem & similitudinem ipsius fuisse creatum. Item ab eodem, sapientia, imperio, iustitia, libertate arbitrij, & perspicua ipsius cognitione donatum: adeò vt in vniuersa hominis natura nihil animaduerti posset, quod non omni ex parte foret absolutum. Ab hac autem dignitate, & naturæ perfectione, vir mulierque exciderunt: vir à muliere, mulier à Serpente decepta: vir, mulieris voci obtemperans, vterque coniuratione inita aduersus Dei Maiestatem, qui aperte antea mortem eis comminatus fuerat, si de arbore vetita gustassent.

De pecacto originali.

CAP. III.

HAc imperij contemptione, quod Originale peccatum vulgò dici solet, imago Dei in homine penitus obliterata fuit, eaque contemptio, ipsum hominem totamque eius posteritatem ita Deo inimicam, Sathanæ mancipium, & peccato reddidit obnoxiam, vt sempiterna mors dominata fuerit, atque adeo in posterum dominatura sit in omnes, qui non fuerint, sunt, aut erunt diuinitus regenerati. Hæc autem regeneratio, est actio Spiritus Sancti, qui in corda eorum, quos

Ephes. 2. Rom. 2.

Ioan. 3.

Rom. 5.

Deus

Deus elegit, constantem inserit fidem de promissis, quæ Deus verbo suo nobis reuelauit: qua fide Iesum Christum, omnemque gratiam & beneficentiam in Christo nobis promissam apprehendimus.

De reuelatione promissorum.

CAP. IIII.

COnstanter enim credimus, quod post formidabilem illam, atque horrendum hominis ab obedientia Dei defectionem, rursus Deus Adamum requisierit, vocauerit nominatim, accusauerit, conuicerit: denique promissione illa gaudij plenâ, eum sic consolans promisit, futurum vt semen mulieris caput Serpentis contereret, hoc est, vniuersa Diaboli opera destrueret, ac euerteret. Hæc promissio, vt alijs atq; alijs temporibus sæpe repetita fuit, ac dilucidius explicata, ita cum summa lætitia recepta, & constanter credita est ab omnibus fidelibus, ab Adamo ad Noam, à Noa ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Dauidem, ac reliquis deinceps patribus, qui vixerunt sub lege fideles, vsque ad Incarnationem Christi. Hi, inquam, omnes iucundissimos Iesu Christi dies viderunt & gauisi sunt.

Gen.3.4. 12.15. Isai.7.8.

De perpetua ſucceſſione, incremento & præſeruatione Eccleſiæ.

CAP. V.

ILlud quoq; conſtanter perſuaſum habemus, quod Deus cunctis deinceps ętatibus, ab Adamo ad Ieſu Chriſti aduentum in carnem, Eccleſiam ſuam præſeruauerit, erudierit, multiplicauerit, honore affecerit, decorauerit, & à morte ad vitam euocauerit. Euocauit enim Abrahamum è patria, ac maiorum ſuorum ſedibus: Eum erudijt, ſemen eius multiplicauit, multiplicatum mirabiliter præſeruauit: mirabilius etiam, è ſeruitute ac tyrannide Pharaonis exemit. His (poſteros Abrahami intelligimus) leges ſuas, inſtituta, & ceremonias dedit. Hos ad poſſidendam terram Canaan introduxit. His Iudices, his Saulem, his Dauidem Regem dedit: cui promiſit è fructu lumborum eius futurum, qui perpetuò ſuper Regium eius Thronum ſederet. Ad hanc ipſam gentem diuerſis ſubinde temporibus miſit Prophetas, qui eam in viam Dei ſui reducerent: à qua ſæpe ad idolorum cultus deflexerant, & quanquam ob proteruum iuſticiæ contemptum, ſæpe eos poteſtati inimicorum permiſerat (quemadmodum antea per Moſen comminatus erat)

Gen. 5.
Gen. 12.
Exod. 1. 2.
Exod. 20.
Ioſu. 1. 2. 17.
1. Sam. 16.
2. Reg. 17.
2. Reg. 24.
25.
Deut. 28.
Ierem. 28.

erat) adeo vt ſancta ciuitas euerſa fuerit, templum incenſum, ac vniuerſa eorum regio per ſpacium ſeptuaginta annorum in vaſtam redacta ſolitudinem: nihilominus miſericordia adductus, eos Hieroſolymam reduxit: ac ciuitate inſtaurata, templo reſtituto iuxta promiſsionem eis factam, aduerſus omnes artes, atque oppugnationes Sathanæ, aduentum ibi Meſſiæ expectauerunt. *Eſdr. 1.* *Agg. 1. 2.* *Zachar. 2.*

De Incarnatione Ieſu Chriſti.

CAP. VI.

CVm plenitudo temporis veniſſet, Deus Filium ſuum, æternam ſuam ſapientiam, & gloriæ ſuæ ſubſtantiam miſit in hunc mundum. Iſque filius, cooperante Spiritu Sancto, humanam aſſumpſit naturam ex fœminæ, eiuſdemque Virginis ſubſtantia. Atque ita editum eſt iuſtum illud ſemen Dauidis, Angelus ille magni conſilij. Idē verus fuit Chriſtus in lege promiſſus: quem nos agnoſcimus & confitemur Emanuel, verum Deum, verum hominem, vnamque, quæ ex duabus perfectis naturis conſtet, perſonam. Hac itaque noſtra confeſſione damnamus perniciosam & peſtilentem Arrij, Marchionis, Eutychis, *Gal. 4.* *Luc. 1. 2.*

Neſtorij, & aliorum id genus hominum, hæreſim, qui aut æternitatem diuinitatis eius negant, aut humanæ naturæ veritatem: aut vtranque in eo naturam confundunt, aut ſeparant.

Cur oporteat mediatorem & pacificatorem, verum eſſe Deum, & verum hominem.

CAP. VII.

AGnoſcimus item & fatemur, hanc maximè admirabilem diuinitatis cum humanitate coniunctionem, ab æterno & immutabili Dei decreto profectam: vnde omnis noſtra ſalus emanat, ac pendet. Idem enim ſempiternus Deus, ac Pater, qui ex mera ſua gratia nos in Chriſto Ieſu Filio ſuo elegit, antequam mundi iacta eſſent fundamenta, eum nobis caput, fratrem, paſtorem, ac magnum animorum noſtrorum Pontificem deſignauit. Sed quia tam auerſa, atque inimica peccatis noſtris erat Dei Iuſticia, vt nulla per ſe caro ad Deum peruenire poſſet, Deum filium oportuit ad nos deſcendere, & corpus è noſtro corpore, carnem é carne, os ex oſſibus aſſumere, atque ita idoneum Mediatorem & pacificatorem inter Deum & hominem fieri. Qui poteſtatem daret ijs qui in eum crederent, vt filij Dei

Ioan. 1.

Heb. 2.

Ioan. 1.

Ioan. 20.

lij Dei fierent, quemadmodum ipſe teſtificatur: vado ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum, ac per hanc ſanctiſſimam fraternitatem, quicquid in Adamo amiſeramus, iterum nobis eſt reſtitutum. Ideoq; Deum Patrem noſtrū appellare non dubitamus, non tam quod ab eo creati ſumus (id enim nobis cum reprobis eſt commune) quam quod indulſerit, vt vnicus eius filius, frater nobis fieret: idq; nobis gratificatus eſt, vt hunc vnum interpretem & pacificatorem, vt eſt ſuperius memoratum, agnoſceremus & amplecteremur. Præterea neceſſe erat, vt qui verus Meſſias & Redemptor eſſet futurus, idem verus homo & verus eſſet Deus: quippe qui pœnas eſſet penſurus, quas noſtro delicto commeriti eramus, & ante tribunal Patris ſeſe repræſentaturus eſſet, vt in pœna luenda pro noſtro delicto & inobedentia, noſtram ſuſtineret perſonam: ac morte ſua, mortis Authorem ſuperaret. Et quia nec ſola diuinitas pati, nec ſola humanitas vincere mortem poterat, vtranque in vnam coaptauit perſonam: vt alterius infirmitas, morti quam commerueramus, eſſet obnoxia: alterius, id eſt diuinitatis inuicta & immenſa vis, de morte triumpharet: nobiſq; vitam, libertatem ac perpetuā pareret victoriam. Iſai. 53.

De Morte, Passione, & Sepultura Christi.

CAP. VIII.

Heb. 10. ITem asseueramus, & pro certo persuasum habemus, quod Dominus noster Iesus Christus,
Isai. 53. Patri sese victimam vltrò pro nobis obtulerit: quod à peccatoribus coutumelijs sit vexatus: quod pro nostris peccatis vulnera passus, quod cum purus, & innocens Dei Agnus esset, ad tribunal terreni iudicis fuerit damnatus, vt nos ante tribunal Dei nostri absolueremur: quod non
Deut. 21. Gal. 3. modò mortem in Cruce atrocem, & Dei ore execratam subierit: sed, quam peccatores meruerant iram Patris, ad tempus tulerit. Nihilo tamen minus asseueramus, quod in medio etiam dolore & Cruciatu, quos animo pariter & corpore pertu-
Hebr. 10. lit, (vt peccata hominum plene lueret) semper vnicè charus & benedictus Patri filius esse perseuerauerit. Deinde, fatemur atque etiam affirmamus, nullum post illud pro peccato restare sacrificium. Si qui autem contra affirment, nihil dubitamus eos blasphemos aduersus Christi mortem, & æternam eius purgationem, ac satisfactionem, per quam sua morte Patrem nobis placauit, asserere.

De

De Resurrectione.

CAP. IX.

PRo certo etiam credimus, quod quatenus fieri non poterat, vt mortis dolores perpetuam haberent potestatem aduersus authorem vitæ, Dominus Iesus, qui Cruci affixus, mortuus & sepultus fuerat, quiq; ad inferos descenderat, iterum surrexit, vt nos iustificaret: & authore mortis (cui æque ac morti eramus obnoxij) deuicto, vitam nobis restituit. Scimus etiam Resurrectionem eius fuisse confirmatam acerbissimorum ipsius inimicorum Testimonijs. Item Resurrectione mortuorum, qui apertis sepulchris reuixerunt, ac in vrbe Hierosolyma compluribus se videndos exhibuerunt. Confirmata est etiam testimonijs Angelorum. Item Apostolorum, qui eum viderunt & contrectarunt: aliorum item complurium, qui post Resurrectionem, consuetudine eius vsi familiariter cum eo ederunt & biberunt.

Act. 2. 3.

Rom. 6.

Mat. 27. 28

Ioan. 20. 21

De Ascensione.

CAP. X.

NEque dubitamus quin idem corpus, quod ex Virgine natum, cruci affixum, mortuum,

Act. 1.

& reſuſcitatum fuerat, in Cœlum aſcenderit in eodem corpore, noſtro nomine, & ad noſtri conſolationem, accepit omnium poteſtatem in Cœlo & in terra: & Regno ſuſcepto ſedet ad dextram
Matth. 28. Patris, patronus, & vnicus interceſſor pro nobis.
1. Ioan. 2. *1. Tim. 2.* Atque hanc gloriam, honorem & prærogatiuam, ille vnus è fratribus tenebit, donec ponat
Pſal. 110. inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. Ibique credimus vſque ad vltimum iudicium, futurum: ad quod exercendum, credimus conſtanter eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum viſi-
2. Theſ. 1. bilem, & qualis erat cum aſcenderat, venturum: ac tum omnia inſtauratum, & redintegratum
Apoc. 20. iri, vſque adeò, vt qui tolerarant vim, contumelias, iniurias, iuſticiæ ergò, beatæ illius quæ ab initio promiſſa eſt immortalitatis fient heredes.
Iſai. 66. Contra proterui, inobedientes, crudeles, violenti, impuri, Idololatræ ac cætera impiorum genera conijcientur in carcerem tenebrarum exteriorum, vbi nec vermis eorum morietur, nec ignis extinguetur: Cuius iudicij exercendi dies, eiuſq; memoria, non ſolum nobis pro fræno eſt, ad voluptates carnis coercendas: ſed inæſtimabilis etiam animi confirmatio, quæ nos ita corroboret, vt neque minis Principum terrenorum, neque mortis huius momentaneæ admoto metu, nec

præſentia

præsentia vlla periculi commoueamur, vt beatam illam dirimamus societatem, quæ nobis vtpote membris conflata est cum capite nostro, & vnico intercessore Iesu Christo. Quem nos profitemur & assueueramus esse Messiam in lege promissum, vnicum Ecclesiæ suæ caput, iustum nostrum legislatorem, vnicum nobis summũ Pontificem, Patronum, & pacificatorem. Eius hos honores, atq; hæc munera, si quis hominum aut Angelorum arroganter & superbè sibi attribuat, eum nos aspernamur, & detestamur velut blasphemum aduersus supremum nostrum Rectorem, & Redemptorem Christum Iesum. *Colloss.1. Heb.9.10.*

De fide in Spiritum Sanctum.

CAP. XI.

HÆc nostra fides, eiusque certitudo, non à Carne & Sanguine proficiscitur. Hoc est à nulla, quæ in nobis est, vi & potentia naturali: sed ab inspiratione, & instinctu Sancti Spiritus, quem nos item Deum confitemur æqualem Patri, & Filio: qui nos sanctificat. Qui omnem in nobis veritatem operatur. Sine quo perpetuò maneremus inimici Deo, & Iesum Christum filium eius ignoraremus. Natura enim ita sumus *Matth. 16. Ioan.14.15. 16.*

mortui, obcœcati, deprauati, vt neque ſtimulis confoſsi quicquam ſentiamus, neque lumen oblatum videamus, neq; cum voluntas Dei reuelata eſt nobis, ei aſſentiamur: niſi Dei Spiritus & mortuos ad vitam reuocet, & à mentis noſtræ oculis tenebras diſcutiat, & contumaces flectat animos, vt ſanctæ ipſius voluntati pareamus. Et quẽadmodum confitemur à Deo patre nos creatos, cùm antea nihil eſſemus, ab Ieſu Chriſto redẽptos, cum inimici eſſemus: Similiter fatemur, nos a Spiritu ſancto renatos, & ſanctificatos eſſe, nulla ratione habita meritorum noſtrorum, ſiue quæ regenerationẽ præceſſerint, ſiue quæ ſequãtur. Atq; vt hanc rem paulò explicatius dicamus, quemadmodum non inuiti, noſmetipſos omni Creationis & Redemptionis noſtræ gloria ſpoliamus: ita Regenerationis & Sanctificationis noſtræ, ne minimam quidem partem nobis noſtriſque meritis arrogamus. Nam naturæ noſtræ, ſponte, ne ad cogitandum quidem quicquam boni ſumus idonei. Sed is, qui bene operari in nobis cœpit, idem ſolus etiam opus continuat, ad gloriam & laudem nominis ſui: quippe qui ſua munera nobis gratis impartitur, non meritis vendit.

De

De Causa bonorum operum.

CAP. XII.

ITaque bonorum in nobis operum causam esse asserimus, non arbitrij nostri libertatem, sed Spiritum Domini nostri Iesu Christi, qui in cordibus nostris per veram habitat fidem: eaque edit opera bona, quæ à Deo præparata sunt, vt in eis ambularemus. Quamobrem blasphemum esse dictu constanter asseueramus, in cordibus eorum in quibus Spiritus Sanctificationis non est, Christum inhabitare. Idcirco etiam non veremur affirmare, in Homicidis, in Violētis, in his qui veritatem per vim opprimere contendunt, in Adulteris, in Fornicatoribus, aut alioqui impuris, in Idololatris, in Ebriosis, in Latronibus, alteriue cuiuis flagitio aut sceleri deditis, neque veram inesse fidem, neque vllam Spiritus Domini Iesu scintillam, quamdiu in sua nequitia obstinatè perseuerant. Quia cùm primùm Spiritus Domini nostri Iesu Christi (quem electi Dei filij per fidem accipiunt) hominis cuiuspiam cor possidet, eum continuò hominem regenerat, ac renouat, adeò vt quæ antea oderat, amare incipiat, quæ antea amauerat, odisse. Hinc autem in

Ioan. 15.

Ephes. 2.

Gal. 5.

Rom. 8.

Filijs Dei, perpetuum illud bellum Spiritus aduersus carnem proficiscitur: dum caro, ac homo animalis, suæ corruptioni consentiens, suæ naturæ consentaneas appetit voluptates, rebus aduersis contrahitur, secundis attollitur, ac singulis momentis pronus ad offensionem diuinæ Maiestatis inclinat. At quod inhonestis voluptatibus obsistimus, quod ante Deum ingemiscentes, ab hac seruitute corruptionis liberari flagitemus, denique quod ita de peccato triumphemus, vt in hoc mortali corpore regnum non obtineat, id à Spiritu Dei est, qui Spiritui nostro testificatur, quòd Filij Dei sumus. Homines autem carni obnoxij qui Spiritu Dei carent, hoc etiam bello carent, vitiositati suæ obsequuntur: & quò Sathan, & praua libido impellit, eò auidè sine vlla pœnitentia ruunt. Filij vero Dei, vt ante dictum est, aduersus peccatum pugnant, suspirant, & ingemiscunt, quoties vitiorum illecebris sese titillari ac sollicitari sentiunt. Et si quando cadunt, per veram & minimè dissimulatam pœnitentiam resurgunt: ac ne id quidem faciunt suis viribus, sed Christi Iesu Domini nostri, sine quo nihil omnino possent.

Ioan. 15.

Quæ

Quæ opera apud Deum habentur bona.

CAP. XIII.

FAtemur item & pro certo tenemus, quod ſanctiſsimas Deus, leges homini dederit, quæ non modo vetent opera omnia, quæ diuinam eius offendunt Maieſtatem, ſed ea iubeant quibus gaudet: quæque ſe remuneraturum pollicetur. Eorum autem operum duo ſunt genera: altera ad Dei referuntur honorem, altera ad proximi vtilitatem, vtraque fidem & authoritatem aſſumunt, ex voluntate Dei nobis reuelata. Deum venerari, honore proſequi, eum in omni labore & moleſtia inuocare, ſanctum nomen eius reuereri, verbum audire, audito parere, Communione Sacramentorum eius vti; hæc ſunt, quæ priore tabula præcipiuntur opera. At patrem, matrem, reges, magiſtratus, omneſque, qui ius & poteſtatem in nos habent, honore afficere, eos amare, eis opitulari, dictis, factis, audientes eſſe, quoties cum Dei præceptis non pugnant, vitæ bonorum adeſſe, tyrannidem opprimere, ab infirmioribus, vim improborum defendere, corpus noſtrum ſanctum ac purum ſeruare, ſobrièque, & temperanter viuere. In omnibus dictis, factiſq;, *Exod. 20. Deut. 4. Ephe. 6. Ezech. 22. Ierem. 22. Iſai. 50.*

1. Thess. 4. iure æquabili cum omnibus vti, & omnem proximi offendendi libidinem cohibere, hæc sunt opera posterioris tabulæ, Deo imprimis grata ac accepta, vtpote ab ipso imperata: horum autem contraria, in vitiorum genere sunt, Deo inuisa, ingrata, eumque ad iram incitantia. Quale est, non eum solum inuocare cum res postulat. Nolle verbum eius reuerenter audire, aut etiam aspernari ac parui pendere. Idola aut venerari, aut apud se habere. Cultum Idolorum fouere ac tueri. Nomen Dei venerabile parui facere. Prophanare, abuti, aut contemnere Sacramenta à Domino instituta. Non parére, ac etiam resistere ijs, quibus authoritas data est diuinitus, præsertim, quamdiu intra iuris, & muneris sui terminos sese continent. Cædem facere, aut quò fiat coire, & consentire. Odium conceptum continere. Pati, vt innoxius fundatur sanguis, cum impedire possis. Ac breuiter quicquid aduersus præcepta prioris aut posterioris tabulæ committitur, id peccatum esse asseueramus: ac tale peccatum, quod iram odiumque Dei aduersus hominum ingratitudinem accendat. Itaque iuxta nostram sententiam, ea opera bona sunt, quæ ex fide proficiscuntur, ac fiunt iuxta præcepta Dei, qui lege lata quid fieri vellet diserte cauit. Contra,

tra, ea opera dicimus mala, non modo quæ apertè cum verbo Dei pugnant: sed ea etiam quæ in rebus quæ ad pietatem ac Dei cultum spectant, nullum aliud habent firmamentum, nisi ab hominis opinione & commento. Huius enim generis opera, Deus, ab initio vsque semper reiecit, & aduersatus est: vti ex Esaia Propheta, & his Christi verbis edocti sumus, frustra me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.

Legem esse numeris omnibus perfectam, homines autem imperfectos.

CAP. XIIII.

LEgem Dei maximè iustam, æquabilem, & perfectam agnoscimus & fatemur, ea iubentem, quæ si perfectè pleneque præstarentur, vitam dare possent, & ad æternam nos perducere fœlicitatem. Sed nostra natura adeò est corrupta & infirma, vt nunquam ad opera legis perfectè præstanda simus idonei. Nam si peccatum nos habere etiam post regenerationem negemus, nosmetipsos decipimus, & veritas Dei non est in nobis. Propterea necesse erat, vt Christum, qui legis est finis, & consummatio, cum sua iusticia & satisfactione apprænderemus: qui in liber-

Rom. 7. 10. *Psal. 19.* *Deut. 5.* *Gal. 3.* *Ioan. 2.* *Ephes. 1.* *Rom. 4.*

tatem nos asseruit, ne in execrationē, ac maledictionem Dei incideremus, etiamsi opera in lege iussa non omni ex parte plenè perfecteque faceremus. Deus enim Pater, in corpore Filij sui Iesu Christi nos intuens, imperfectam nostram obedientiam boni consulit, & pro perfecta habet: operibusque nostris, quæ multis maculis polluta sunt, filij sui iusticiam prætendit. Neque tamen ita nos emancipatos dicimus, vt nullam legi obedientiam debeamus. Obedientiam enim deberi supra, apertè sumus confessi. Illud autem affirmamus, neminem vnquam præter vnum Christum ita legi paruisse, parere, aut parituru esse, quemadmodum lex exigit. Sed cum omnia fecerimus, procumbamus oportet, ac fateamur ingenuè, seruos nos inutiles esse. Quapropter quicunque operum suorum merita ostentat, aut in operibus supererogationis vllam collocat fiduciam, is se sciat id iactare, quod omnino nihil est, & spem salutis in Idololatria exitiabili collocare.

De Ecclesia.

CAP. XV.

Matth. 28. QVemadmodum credimus in vnum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ita firmissimè

missimè tenemus, quod ab vsque rerum initio fuerit, nunc extet, ac futura sit vsque ad mundi finem vna Ecclesia, id est vnus cœtus & multitudo hominum à Deo electorum, qui rectè ac pie Deum venerantur & amplectuntur, per veram fidem in Iesum Christum qui solus est caput eius Ecclesiæ: quæ & ipsa Corpus est, & spõsa Christi. Eademque est Catholica, hoc est vniuersalis: quia omnium ætatum, Nationum, gentium, & linguarum electos continet, siue illi Iudęi sunt, seu Gentes, ijsq; communio est, & societas cum Deo Patre, cumq; eius filio Iesu Christo per Sanctificationem Sancti Spiritus: atque ideò non hominum prophanorũ vocatur communio, sed Sanctorum, qui etiam Hierosolymæ cælestis sunt ciues, fruunturque bonis maximè inæstimabilibus, nempe vno Deo, vno Domino nostro Iesu, vna Fide, & vno Baptismo. Extra hanc Ecclesiam nulla est vita, nulla æterna fœlicitas. Idcirco plane ex diametro abhorremus ab eorum blasphemijs, qui asserunt cuiusuis sectæ, aut Religionis professores fore saluos, modo vitæ suæ actiones ad iusticiæ, & æquitatis normam conformauerint. Nam vti absq; Iesu Christo nulla est vita, nulla salus, ita salutis eius nemo erit particeps, nisi quem Pater dederit Filio suo

Ephes. 1. 5.

Coll. 1.

Apoc. 7.

Ephes. 2.

Ioan. 5.

Iesu Christo, quique ad eum dum tempus habet, aduenier, eius doctrinam profitebitur, & in eum credet. Cum adultis autem parentibus, pueros etiam comprehendi intelligo. Hæc Ecclesia inuisibilis est, vni Deo cognita, qui solus nouit quos elegerit. Hæc æque continet electos, qui iam decesserunt (quos vulgo Ecclesiam triumphantem appellant) ac eos qui nunc viuunt, & aduersus peccatum & Sathanam præliantur, eosque qui post nos futuri sunt.

De immortalitate animorum.

CAP. XVI.

Apoc. 14. ELecti qui iam decesserunt laboribus liberi, pace, & tranquillitate fruuntur, non quòd dormiant, aut obliuione sopiantur, vt fanatici quidam affirmant: sed quod ab omni metu, cruApoc. 7. ciatu, & tentatione sint exempti, quibus nos ac cæteri omnes Electi Dei sumus obnoxij, quamdiu hac vita fruimur: ideòque nomine Ecclesiæ militantis censemur. Contra verò, reprobi & infideles, qui decesserunt, in ijs molestijs & cruciatibus degunt, quæ verbis exprimi non possunt. Neque enim aut illi ita sunt sopiti, vt omni sensu, aut hi vt sensu pœnarum careant: vt indicat

cat Iesu Christi parabola, quæ Lucæ 16. est. Item vt illa testificantur animorum verba sub altari clamantium, O Domine, qui Sanctus es & iustus, quoad vsque non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra? Luc. 16. Apoc. 6.

Quibus indicijs vera Ecclesia distinguatur à falsa, & quis in Ecclesiasticæ doctrinæ controuersijs sit iudex.

CAP. XVII.

QVia Sathan ab initio semper laborauit, vt pestilentem Synagogam, verę, Dei, Ecclesiæ titulo insigniret, animosque crudelium homicidarum accendit, vt veram Ecclesiam, eiusque membra premerent, turbarent, & infestarent (velut Cain, Abel: Ismaal, Isaac: Esau, Iacob: totusq; Sacerdotum Iudaicorum ordo, primum Christum ipsum, deinde Apostolos eius Capitali odio sunt persecuti) imprimis necessarium videtur, veram Ecclesiam ab impura Synagoga certis & manifestis distinguere indicijs: ne in eum incidamus errorem, vt alteram pro altera cum nostro amplectamur exitio. Notas autem, & indicia, quibus immaculata Christi sponsa, ab impura illa & abominanda Meretrice (Eccle- Gen. 4. 21. 27. Matth. 23. Ioan. 11. Act. 3.

siam impiorum intellige) discerni possit, asseueramus, neque ab iniquitatis prærogatiua repetendas, nec à successione perpetua Episcoporum, nec à certi loci designatione, nec à multitudine hominum in eundem errorem consentientium. Cain enim, ætate & primogenituræ prerogatiua, Abel & Seth anteibat. Item Hierosolyma cætera totius orbis oppida. Huc accedebat in Sacerdotibus ab Aarone vsque, perpetua familiæ & successionis series: maiorque erat eorum numerus, qui Scribas & Pharisæos sectabantur, quàm qui Iesum Christum, eiusque doctrinam ex animo probabant. Neque tamen arbitramur quemquam cui purum & solidum sit iudicium, commissurum vt vlli ex ijs, quas modo commemoraui, Ecclesijs, Dei nomen attribuat. Igitur quam nos veram Dei Ecclesiam credimus & fatemur, eius primum est indicium, vera verbi diuini prædicatio, per quod verbum, Deus ipse sese nobis reuelauit: quemadmodum scripta Prophetarum & Apostolorum nobis indicant. Proximum indicium est, legitima Sacramentorum Iesu Christi administratio, quæ cum verbo & promissionibus diuinis coniungi debent, vt ea in mentibus nostris obsignent, & confirment. Postremum est Ecclesiasticæ disciplinæ seuerè, & ex verbi diuini

Ioan. 1. 16.

uini præscripto, obseruatio: per quam vitia reprimantur, & virtures alantur. Vbicunque hæc indicia apparuerint, atque ad tempus perseuerauerint, quantumuis exiguus fuerit numerus, proculdubio ibi est Ecclesia Christi: qui iuxta suã promissionem in medio eorum est. Non illam dicimus vniuersalem Ecclesiam, de qua superius facta est mentio: sed particularem. Tales erant Corinthia, Gallogræca, & Ephesina, aliæq; complures, in quibus verbi ministerium, à Paulo fuerat plantatum, quasque ipse, Dei Ecclesias vocat. Huiusmodi Ecclesias, qui in regno Scotorum nomen Christi profitemur, in oppidis, vicis, alijsque locis in quibus veræ pietatis cultus est restitutus, nos habere asseueramus. Ea enim in ijs doctrina traditur, quæ Dei verbo scripto continetur. Noui & veteris Testamenti eos intelligimus libros, qui ab infantia vsque Ecclesiæ semper habiti sunt Canonici. Quibus in libris, omnia quæ ad humani generis salutem sunt necessaria, asserimus sufficienter esse expressa. Huius Scripturæ, interpretandi potestas, penes nullum est hominem, siue is priuatam, siue publicam gerat personam. Nec penes vllam est Ecclesiam: quacunque illa siue loci seu personæ prærogatiua sibi blandiatur. Sed penes Spiritum

Rom. 4.
1. Cor. 5.
Act. 16. 18.
1. Cor. 2.
Act. 20.

Dei, cuius instinctu, illa ipsa Scriptura confecta est. Igitur cum de Scripturæ sensu, & interpretatione, aut loci alicuius, aut sententiæ quæ in ea contineatur, cõtrouersia oritur, aut cum de collapsæ disciplinæ emendatione agitur in Ecclesia, spectare debemus, non tam quid homines qui nos antecesserunt, dixerint aut fecerint: quàm quid perpetuò sibi consentiens Spiritus Sanctus in Scripturis loquatur: prætereà quid Christus ipse fecerit, aut fieri iusserit. Illud enim omnes vno fatentur ore, Spiritum Dei (qui & vnitatis item est Spiritus) nunquam secum pugnare. Itaque si qua cuiusuis doctoris aut Ecclesiæ, aut concilij interpretatio, decretum aut opinio cum expresso Dei verbo, quod in alia Scripturæ parte continetur pugnauerit, luce clarius est, eam nec esse veram explicationem, nec mentem Spiritus Sancti: quantumuis eam concilia, regna, & nationes probauerint ac receperint. Nos enim nullam interpretationem recipere, aut admittere audemus, quæ pugnet aut cum aliquo ex præcipuis fidei nostræ capitibus, aut cum perspicua Scriptura, aut cum Charitatis regula.

1. Cor. 2.

De Scripturæ authoritate.

CAP. XVIII.

QVemadmodum credimus & confitemur, ex Scripturis diuinis Dei cognitionem abundè hominibus tradi, ita affirmamus atque asseueramus, à nullo hominum, aut Angelorum, sed à Deo solo Scripturæ authoritatem pendere. Igitur qui tantam esse Scripturæ authoritatem volunt, quantam illi Ecclesiæ concedunt suffragia, eos constanter asserimus, aduersus Deum blasphemos esse, aduersus veram Ecclesiam contumelioſos: quæ sui sponsi, suique pastoris vocem audit, eique obtemperat: neque tantum sibi assumit, vt Domina eius videri velit. 1. Tim. 2. Ioan. 10.

De concilijs generalibus, deque eorum potestate, authoritate, & causis cur cogantur.

CAP. XIX.

QVemadmodum quę ab hominib⁹ pijs legitimè ad generale Concilium conuocatis, nobis proposita sunt, ea non temerè, aut præcipitanter damnamus, ita nec sine iusta examinatione recipere audemus, quicquid generalis Concilij nomine nobis obtruditur. Quippe cum homines

eos fuisse constet, qui in manifestos inciderint errores, idque in rebus non minimi momenti. Itaque, sicubi Concilium, perspicuo verbi diuini testimonio sua decreta confirmat, statim ea reuereremur, atque amplectimur. Sed si homines noua fidei dogmata, constitutionesue cum verbo Dei pugnantes edant, ijsq; interim nomen Concilij prætendant, ea nos penitus reijcimus, atque recusamus, tanquam doctrinam Diabolicam, quæ à Dei verbo, ad constitutiones & doctrinas hominum, animas nostras auocent. Causa igitur cur generalia Concilia cogerentur non ea fuit, vt leges, quas Deus non iussisset, velut perpetuò duraturas rogarent: neque vt noua de fide dogmata comminiscerentur: neque vt verbum Dei, authoritate sua confirmarent: multò etiam minus vt pro verbo Dei, aut verbi diuini interpretatione nobis obtruderent, quod neque Deus antea voluisset, nec per Scripturas suas nobis indicasset. Sed cogebantur Concilia (de ijs loquimur quæ hoc nomine censeri merentur) partim vt hæreses confutarent, partim vt publicam fidei suæ confessionem, ad posteros transmitterent. Atque horum vtrunque faciebant, ex verbi diuini scripti authoritate. Non autem quod putarent huius conuentionis causa, hac se prærogatiua

1. Tim. 4.

tiua donatum iri, vt errare non possent. Atque hanc præcipuam illis fuisse causam existimamus publicorum conuentuum. Erat & altera illa ad disciplinam ordinandam: vt in Ecclesia (quæ Dei familia est) omnia honestè, atque ordine gererentur. Nec hoc tamen in eum sensum accipi volumus, vt credamur existimare vnam aliquam legem, & Ceremoniarum ritum præscribi posse, qui omnibus & locis, & sæculis conuenire possit. Nam vt Ceremoniæ omnes ab hominibus excogitatæ, temporariæ sunt, ita cum temporum momentis mutari possunt, & mutari etiam debent, quoties earum vsus superstitionem potius alat, quam Ecclesiam ædificet.

De Sacramentis.

CAP. XX.

QVemadmodum Patres qui lege viuebant, præter eam veritatem quæ Sacrificijs repræsentabatur, etiam duo præcipua habebant Sacramenta, nempe Circumcisionem, & Pascha: qua quicunque spreuisset, in populo Dei non censebatur: ita nunc quoque Euangelij tempore nos duo quidem Sacramenta, eaq; sola agnoscimus, atque à Christo instituta fatemur: vsumque ho-

Gen. 17. *Exod. 12.* *Mat. 26. 28*

rum omnibus imperatum, qui inter corporis eius membra censeri volunt, ea sunt, Baptismus & Cœna, seu mensa Domini Iesu, quæ & communio Corporis & Sanguinis eius nuncupatur. Hæc autem Sacramenta tam veteris quam noui Testamenti, instituta credimus à Deo, non modò vt visibile discrimen essent, quo populus Dei ab ijs discerneretur, qui fœdere nobiscum inito non
1. Cor. 10. continebantur: sed etiam vt filiorum suorum fidem erga se Deus exerceret: & per horum Sacramentorum participationē obsignaret in mentibus nostris promissionum suarum fiduciam: eius item coniunctionis, vnionis, & societatis, quæ est omnibus electis cum capite suo Iesu Christo. Itaq; manifestissimæ vanitatis eos dam-
Tit. 3. namus, qui affirmāt Sacramenta nihil aliud esse, præterquam nuda signa. Sed persuasissimum habemus, per Baptismum nos in Christum inseri:
1. Cor. 11. Christi iusticiæ participes fieri, per quam peccata nostra tegantur: propter quam, veniam & gratiam impetremus. Item quod in cœnæ rectò & legitimo vsu, Christus ita nobiscum sese iungat, vt fiat animarum nostrarum verus victus, verum alimentum. Neque confestim vllam naturæ panis, in Corpus Christi, aut vini in eius Sanguinem, transubstantiationem imaginamur:

quem-

quemodmodum Papistæ pernicioſiſſimè docuerunt, & crediderunt. Sed hanc vnionem & coniunctionem, quæ nobis eſt ex vero Sacramentorum vſu cum Chriſti corpore, Spiritus ſanctus in nobis operatur, qui nos veræ fidei alis euehit, vltra omnia corporea & terrena, aut quæ oculis cerni poſſint: nobiſque proponit epulandum verum Corpus Chriſti, quod ſemel pro nobis fractum eſt, & verum ſanguinem qui pro nobis fuſus eſt: illud inquam corpus, quod pro nobis in Cœlis ante Patrem nunc apparet. Id autem corp⁶ ipſum iam glorioſum & immortale, quod nunc in cœlis eſt, quanquam tanto diſtet à nobis interuallo; qui nunc mortales in terra degimus, hoc tamẽ conſtanter tenemus, panẽ quem frangimus, Communionẽ eſſe corporis Ieſu Chriſti, *Ioan. 6.* & Calicem cui benedicimus, Sanguinis eius item eſſe Communionem. Itaq; confitemur, & proculdubio credimus, quod fideles in recto cœnæ Dominicæ vſu, ita corpus Domini Ieſu edant, & ſanguinem bibant, vt ipſi in Chriſto maneant, & Chriſtus in eis. Quin & caro de carne eius, & os ex oſſibus eius ita fiunt, vt quemadmodum carni Chriſti, quæ ſuapte natura mortalis erat & corruptibilis, diuinitas vitam & immortalitatem largita eſt, ita cum carnem Ieſu Chriſti e-

dimus,& bibimus eius sanguinem,eisdem & nos prærogatiuis donamur. Quas vt non eo solùm tempore nobis donari fatemur, neque vi solum & potestate Sacramentorum, sic in recto cœnæ dominicæ vsu, talem fidelibus cum Christo coniunctionem esse affirmamus, qualem humana mens capere nequeat. Quin illud quoque affirmamus, quanquam fideles aut negligentia, aut infirmitate conditionis humanæ impediti,in ipso actionis eius momento, eum quem vellent fructum è Cœna Domini non percipiant, verum tamen, velut vitale semen in vberem terram iactum, aliquando in frugem erumpet. Spiritus enim Sanctus, qui à vera Christi institutione nunquam potest excludi,non committet, vt huius mysticæ actionis fructu,fideles frustrentur. Hæc autem omnia manare dicimus è veræ fidei fontibus, per quam Iesum Christum apprehendimus: qui vnus Sacramentorum suorum effectum in nobis producit. Itaque quicunque nos calumniantur, tanquam Sacramenta dicamus, aut credamus nuda modo signa esse, non modò aduersus nos, sed aduersus veritatem,sunt contumelioſi. Illud autem ingenuè confitemur, nos magnum discrimen facere,inter elementa signorum Sacramentalium, & æternam Iesu Christi

sub-

ſubſtantiam. Neque enim cum ſignis exhibemus honorem, qui rei quæ per ea ſignificatur, eſt exhibendus: neque rurſus ea contemnimus, aut vana & inutilia eſſe arbitramur: ſed poſt diligentem noſtri examinationem, illis reuerenter vtimur. Perſuaſum enim habemus ex verbis Apoſtoli, quicunque ex illo Pane edit, aut ex illo Calice bibit indignè: eum eſſe reum corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti. 1. Cor. 11.

De recta adminiſtratione Sacramentorum.

CAP. XXI.

AD rectam Sacramentorum Adminiſtrationem, duo arbitramur eſſe neceſſaria: alterũ, vt ea miniſtratio per legitimos fiat miniſtros. Legitimos autem eos eſſe aſſerimus, quibus verbi prędicatio commiſſa eſt: in quorum ora, Deus exhortationis indidit Sermonem, modo legitimè ab aliqua electi ſint Eccleſia. Alterum autem, vt ſub ea elementorum forma, & in eum morem adminiſtrentur, quem Deus inſtituit. Alioqui enim, vera Chriſti Sacramenta eſſe deſinunt. Eaque cauſa eſt, cur in Sacramentorum participatione, à Papiſticæ Eccleſiæ Communione abhorremus. Primùm, quòd eorum miniſtri Chriſti miniſtri non ſunt, & (quod longè deteſtabilius eſt) fœminis, quas Spiritus Sanctus ne

docere quidem in Ecclesia patitur, illi permittunt, vt etiam Baptismum administrent. Deinde, quod vtrunque Sacramentum ita suis commentis adulterarint, vt eius Ceremoniæ, quæ à Christo peracta est, nulla pars antiquam & genuinam suam retineat puritatem. Nam oleum, sal, sputum, cæteraque id genus in Baptismo, mera sunt hominum commenta. Panis veneratio, adoratio, per vrbes & vicos gestatio, in pixide conseruatio, non est Sacramentorum Christi vsus, sed prophanatio. Christus enim dixit comedite, &c. Hoc facite in mei memoriam. His verbis atque hoc mandato, Panem & Vinum in Corporis & Sanguinis sui Sacramenta sanctificauit, vt alterum ederetur, alterum biberetur ab omnibus: non autem vt seruarentur ad venerationem, vtque instar Dei adorarentur: quod hactenus à Papistis est factum. Ijdem quoque Sacrilegio se alligarunt, cum alteram Sacramenti partem, hoc est sacrum Calicem populo substraxerunt. Præterea, ad rectum Sacramentorum vsum, illud quoque est necessarium, vt intelligatur quem ad finem tam miniſter, quàm qui Sacramenta
Isai. 1. accipit ea referant. Nam qui Sacramentum accipit, si secus atque oportet de fine eius senserit, ibi Sacramenti quoque vsus & fructus cessat:

quod

quod & in Sacrificiorum reiectione est euidens. Psal. 50.
Item si doctor falsam doctrinam palàm obtrudat, quanquam Sacramenta sint à Deo instituta, tamen quia impij alio, quam quò Deus voluit ea referant, ei sunt ingrata & detestabilia. Id autem vsuuenire asserimus, in Sacramentis Ecclesiæ Papisticæ. Tota enim Ceremonia à Christo instituta, tam in forma exteriore, quam in fine, & fructus opinione, penitus est adulterata. Quid Iesus Christus egerit, quid fieri præceperit, id perspicuum est ex Euangelistis, & Paulo. Quid Sacerdos agat ad aram nihil opus est commemorare. Finis & causa cur Christus ea instituerit, & cur nos item eisdem, & eodem modo vti debeamus, his verbis disertè exprimitur: hoc facite in mei memoriam: quoties de hoc Pane ederitis, & de hoc Calice bibetis, annũciabitis, hoc est, efferetis, vulgabitis, prædicabitis & prosequemini laudibus mortem Domini donec veniat. Sed quid Sacerdotes missando spectent, quam opinionem de Missa velint haberi; ipsa Missæ verba, ipsi doctores eorum iudicabunt: quippè qui tanquam conciliatores Ecclesiæ, cum Christo Sacrificium offerant Deo propitiatorium pro peccatis viuorũ & mortuorum, hanc nos eorum doctrinam velut contumeliosam aduersus Iesum

Christum reijcimus, & detestamur: quippe quæ vnico Sacrificio semel ab eo, pro omnibus qui sanctificabuntur ablato detrahat, & velut parum efficax in eum vsum coarguat.

Quibus communicari Sacramenta debeant.

CAP. XXII.

BAptismum existimamus, non minus Communicandum infantibus fidelium, quàm ijs, quibus est rationis & iudicij vsus. Itaque damnamus errorem Anabaptistarum, qui ante fidem, & rationis vsum, negant ad pueros pertinere Baptismum. Cœnæ autem dominicæ participes esse debere eos modo credimus, qui in familia fidei contineantur: quique sese ipsi probare & examinare possint, non modo in ijs quæ propriè ad fidei causam spectant, sed etiam quæ ad officium erga proximum pertineant. At qui edunt & bibunt ex hac sacra mensa, interim fidei vacui, aut à fraterna charitate alieni, hi indignè edunt. Hanc igitur ob causam, in nostris Ecclesijs Ministri & publicè & priuatim de fide & vita eorum cognoscunt, qui ad mensam Domini Iesu Christi accedunt.

De Magistratu Ciuili.

CAP. XXIII.

AGnoscimus item & confitemur, Imperia, Regna, Dominatus, & Ciuitates, diuisas & Rom. 13. instituras esse à Deo. Item Imperatoribus in sua imperia, Regibus in regna, Ducibus & Principi- 1. Pet. 2. bus in Dynastias, aliisque Magistratibus in suas Ciuitates, ius & potestatem esse ex ordinatione & instituto Dei, ad gloriæ ipsius manifestationem, & singularem humani generis vtilitatem, & commoditatem. Itaque quicunque id agit, vt iam diu corroboratum inter homines ciuilem ordinẽ aut tollat, aut conturbet, eum nos asserimus non modò humani generis esse inimicum, sed aduersus expressam Dei voluntatem, impium gerere bellum. Præterea asserimus atque affirmamus, ijs qui authoritate iusta funguntur, omnem laudem, honorem, & reuerentiam esse deferendam: propterea quod, cùm vices Dei inter homines gerant in eorum concilijs, Deus ipse assideat: ac de ipsis iudicibus & principibus (quibus gladium dedit vt bonos tueantur, & in noxios animaduertant) ipse iudicabit. Præterea affirmamus, Regum, Principum, aliorumque Magistratuum, vel præcipuum esse munus, vt

religionem puram tueantur, adulteratam maculis purgent. Neque enim ad ciuilis modò ordinis conſeruationem, ſed ad religionis etiam tutelam ſunt inſtituti, vt Idololatriam, omnemq; ſuperſtitionē in ea oborientem opprimant. Quod in Dauide, Ioſaphat, Ezechia, Ioſia, alijſque regibus intueri licet, qui ob vehemens ſtudium in puritate Religionis tuenda, ſingularem conſequuuti ſunt laudem. Ideoque profitemur, & palam affirmamus, quicunq; Magiſtratui in mora eſt, quóminus ſuum exerceat munus, is ordinationi Dei reſiſtit, neque à ſcelere excuſari poteſt. Prætereà affirmamus, quicunque auxilium, conſilium, operamq; ſuam negat Migiſtratui, ad officium vigilanter & ex fide faciendum, Idem ſuum auxilium, conſilium & operam Deo negat, qui per Magiſtratum, (qui vices eius in terris explet) ea ipſa à nobis expoſcit.

De beneficijs liberaliter Eccleſiæ conceſſis.

CAP. XXIIII.

QVanquam verbi diuini ſyncera prędicatio, Sacramentorum legitima miniſtratio, & diſciplina, conuenienter verbo Dei exercita, ſint certa & minime fallacia veræ Eccleſiæ indicia, non continuò tamen, quicunq; in hunc cœtum nomen dedit, fit electum Ieſu Chriſti membrum.

Matth. 13.

Scimus

Scimus enim lolium, zizania, aliaſq; id genus frugum peſtes, vnà cum tritico ſeri, copioſéq; poſſe creſcere. Hoc eſt, impios poſſe in eundem cum Electis cœtum coire, & aſſiduè cum eiſdem, verbi & Sacramentorum beneficijs vti: verùm huiuſcemodi homines, qui ad tempus, neq; id quidem ex animo veritatem profitentur, retrò abeunt, neq; ad finem vſque perſeuerant. Ideóq; nullus ex morte, Reſurrectione & Aſcenſione Chriſti, fructus ad eos pertinet. At qui & animo perſuaſum habent, & ore conſtanter confitentur Dominum Ieſum Chriſtum, eo, quo ſuperius diximus modo, hæc haud dubiè recipient beneficia. Primùm, in hac vita peccatorum condonationem: idque duntaxat in Sanguine Chriſti. Adeò vt quanquam peccatum remaneat, & continenter habitet in hoc mortali noſtro corpore, non tamen imputabitur nobis: ſed condonabitur, atq; operietur Chriſti iuſticia. Deinde in generali illo iudicio rediuiuum cuiq; ſuum reſtituetur corpus. Mare enim ſuos reddet mortuos, terra item quos ſinu ſuo clauſos tenet, ac ſempiternꝰ ille noſter Deus, manum ſuã ſuper puluerem extendet, ſurgentq; mortui in eo ipſo quod quiſq; tulerat corpore, ſed iam immortali & incorruptibili, vt recipiant iuxta opera ſua, aut gloriã, aut 1. Cor. 15.

Matth. 25. pænam. Nam crudeles, flagitiosi, Idololatræ, quique rerum partim inanium, partim etiam impiarum studio in hac vita tenebantur, ad ignis inextincti supplicium damnabuntur: ibique sempiternis cruciabuntur pænis, non modò corpora, sed etiam animæ, quas in seruitutem Diabolo, in omnem immunditiæ & nequitiæ vsum addixerant. At qui in bonorum operum exercitio, ad finem vsq; perseuerabunt, Christumq; fidenter profitebuntur, eos persuasissimum habemus, in gloriam, honorem, & immortalitatem assumptum iri: vt viui perpetuò regnent cum Christo: cuius corpori glorioso, omnes electi eius conformabuntur, cùm is rursus in iudicio comparebit, regnumque Deo Patri tradet, qui tum erit & in perpetuum perseuerabit in omnibus & per omnia Deus in æternum benedictus: Cui cum Filio & Spiritu Sancto, omnis honor, & gloria, & nunc & in æternum. Amen.

Exurge Domine, & confundantur inimici tui. Fugiant à facie tua qui oderunt sanctum nomen tuum. Da seruis tuis virtutem, vt cum omni fiducia verbum tuum eloquantur, omnesque Nationes veritatem tuam agnoscant, & amplectantur. Amen.

FINIS.

Assertiones quædam,

Ex alijs eiusmodi innumeris erroneæ, per Andream Meluinum, nouam & inauditam Theologiam profitentem, in suis prælectionibus de Episcopatu, pro certis & indubitatis in medium allatæ, ac palàm affirmatæ, in Scholis Theologicis fani Andreæ, Regni Scotiæ metropoleôs: vnà cum orthodoxis censuris, & impugnationibus doctissimi Præsulis Patricij Adamsoni, eiusdem sedis Archiepiscopi dignissimi, ibidem ex tempore, doctè quidem, piè & grauiter exagitatæ, ac in ipsius Præsulis prælectionibus Scholasticis, in vtranque Apostoli ad Timotheum, fusiùs delineatis.

1. *Assertio.*

Veteres omnes Doctores, senserunt Episcopatum, humanum esse institutum, Deique verbo, non inniti præsidentiam.

Censura.

Assertio temeraria, & tàm verbo Dei scripto, quàm veterum Doctorum & Patrum auctoritati, ex diametro pugnans.

2. *Assertio.*

Par est, omnium Pastorum & Ministrorum potestas & iurisdictio; Neque ordinis & disciplinæ gratia, vllum est discrimen.

Cen-

Censura.

Temeraria assertio, & anabaptismo affinis.

3. *Assertio.*

Actorum 13. Manus Paulo & Barnabæ impositę fuerunt à Presbyterio Antiocheno, non solenni precandi formula, & symbolo eos commendandi Diuinæ gratiæ, sed officij, & Apostolatus ergò.

Censura.

Apostolos ab hominibus, aut per homines auctoritatem vocationis accepisse, erroneum est.

4. *Assertio.*

Subscriptio Epistolæ posterioris ad Timotheum, primum Ephesi electum Episcopum, eiusdem fidei est, qua Domini Ioannis Missa Biblijs præfixa: Neque illi magis, quàm huic fides adhibenda.

Censura.

Impudens assertio, Sacræ Scripturæ auctoritatem, atq; Ecclesiæ orthodoxæ, Patrum, ac Doctorum sententias, funditus conuellens.

5. *Assertio.*

Gregorius Nazianzenus, Præsidentiam damnat, in oratione contra Maximum, dum ait, Vtinam non esset præsidentia.

Censura

Censura.

Scilicet, qui Constantinopolitanæ sedi præerat, Præsidentiam damnat: & non potius pathetice hæc loquitur, Iobi more, (vtinam natus non fuissem) Quod ex orationis serie certum est.

6. Assertio.

Epiphanius, & Augustinus, Aërium damnantes hæreseos, quòd puritatem in ministerium primus introduxisset, & Episcopum Presbytero dixerit æqualem: Ipsi potius hæretici dicendi sunt.

Censura.

O præclarum, & diuinum Iudicem, ac vitulâ dignum, si cum quopiam certaret; qui tantos & tam orthodoxos Ecclesiæ approbatos Patres, suo temerè iudicio, hæreseos damnare non erubuerit!

7. Assertio.

Aërius, vir fuit frugi, & austeræ sanctimoniæ: Qui autem eum hæreticum esse putant, falluntur: & Aërij nomen pro Aëtio legunt, cùm affines literæ, R & T sint, & facilis ab vna in alteram sit lapsus.

Censura.

Aërius, multarum hæreseon antesignanus fuit, Arrianus syllabicus damnator nuptiarum, qui aliquid possiderent, non recipiebat in communionem. Aërius fuit Eunomianus: Aërium autem tueri, crassa est, & supina

veteris historiæ ignoratio. O antiquitatis insignem & reconditum inuestigatorem!

8. *Assertio.*

Aërius, rectè orationem pro mortuis reprehendit, Epiphaniúsq; hoc nomine meritò damnãdus est, quasi superstitionis illius fautor & propugnator, quæ in Papismo obtinet.

Censura.

Eucharisticas tantùm preces, pro mortuorum martyrũ constãtia intelligit Epiphanius; & pro, propter significat, Petrusq, Viretus, Epiphanium sic explicat.

9. *Assertio.*

Doctores, separatum habent à Pastoribus munus, non functione solùm, sed etiam personis disiunctum: Pari sunt cum Pastoribus potestate: Procurationem habent disciplinæ Ecclesiasticæ, pari cum Pastoribus authoritate: & in Ecclesijs docere, & verba ad populum facere possunt suis auspicijs, nullâ Pastorum veniâ.

Censura.

O ridiculæ & temerariæ assertiones, nullis scripturæ testimonijs, nullis fulcris, nullis orthodoxis innixæ scriptoribus: delyria somnia. Cur nõ addit iste Doctor eorum esse munus, sciſmata gignere, vt & ipse, qui nouam docet & inauditam Theologiam.

10. As-

10. *Assertio.*

Deus, in mundi exordio, cum Adamo, Doctorem & catechisten egit. Quî enim sciret ea, quæ eum diebus quinque antecesserant, nisi Deo docente? Et quomodo fœminam, ex ossibus & carne suâ scire potuit, nisi Deo docente et instruente, aut matrimonij leges nouisse?

Censura.

Rudem hominem initio creatum, qui creationis beneficio hæc non amplecteretur, nouâq; doctrina tum opus habere, Cabbalisticum est, & Thalmudicum.

11. *Assertio.*

Quum serpentem Deus alloquitur, et ei maledicit; eum attestatur contra homines, quemadmodum in Prophetis, cœlum et terram.

Censura.

Cœlum & terra, cùm sua munera obeant Deo mandante, rectè testes à Creatore compellantur, quod nihil affine habet cum serpentis anathemate.

DILECTIS IN

Christo fratribus suis,

D. D. Roberto Pontano, & Nicolao

Dalgleschęo, Ecclesiæ Scoticanæ Pastoribus,
Ac Ecclesiastico Comitiorum Publicorum
Edicto, In Septentrionales Scotiæ Regni partes emissis, ad Papismi facem ibidem Restinguendam, Prudentissimum & Saluberrimum authoris consilium
complectens, de Ecclesiæ eiusdem politia & moderatione.

REdditæ sunt mihi vestræ Literæ, Ex quibus intellexi vos profectionem instituere in Septentrionem, Synodj mandato; ad colligendas illic Ecclesiarum reliquias, & Papismi facem, quæ nunc ibidem exardescit restinguendam: Vtinam prosperè vobis, vestra cedat legatio, adeò vt non radices solùm, sed omnes renascentis Papismi fibras præcidere possitis; Meum autem hac in re Consilium vltrò

Magistratus ciuilis authoritas perneceſſaria, in omni Eccleſiæ regimine & moderatione.

vobis offero, vt præter Synodi mandata, Diploma Regium impetretis: Sic enim fiet, vt maiore authoritate, minore etiam periculo, in ijs Regionibus verſari poſſitis. Mihi verò altius repetenti, longè melius conſultum Chriſtianæ Reipublicæ videtur, ſi probi & eruditi viri, Eccleſiaſticæ inſpectionis munera, non extraordinariâ legatione, ſed perpetuâ & conſtanti functione tuerentur, quique herbeſcente Lolio, id ſtatim in ipſo ortu extinguerent. Verùm cùm Epiſcoporum legitima & Orthodoxa authoritas, Synodorum veſtrorum decretis labefactata ſit, Et nunc inueterato malo qualitercunque tandem ſubueniendum ſit. Gratulor eam vobis prouinciam obtigiſſe, qui ætate, grauitate, conſilio, & eruditione ſic muniti eſtis, vt aduerſarij ſint primo congreſſu clypeos abiecturi: Quod fælix fauſtumque. Ite ergò auſpice Chriſto. Quod autem remoram vobis iniectam ſcribitis, partim exiguitate pecuniæ ad ſumptus tollerandos, partim difficultate conflandi æris, niſi à me repreſentetur nomine tertiæ: Sic habete; Pudere me mirum in modum, Quum Papiſtis & Ieſuiſtis abundè ſuppetat, ad ſuas ſuperſtitiones augendas, ad corrumpendam Iuuentutem, & occulta

belli

belli semina serenda, eò rem Ecclesiasticam in Scotia deuenisse, vt præ inopia, hostium conatibus obuiam ire non possitis. Ad me verò quod attinet, si priuato impendio vtendum est, tametsi nummosus non sim, tàm necessario operi, tempore tàm oportuno minimè deessem. Tertiæ autem nomine quod petitis, penes me non est Tertiæ partis procuratio, nisi Patricij filij natu minimi nomine: Eam ego pensionem redemi, plus quatuor mercarum millibus, alioqui mihi meisque malè vertat; præter eam pecuniam quam Glencludonius, ærarij Ecclesiastici præfectus, nuper eodem nomine, adulto Rege extorsit. Hæc autem ad vos scribo, vt intelligatis quanta mihi meisq; liberis iniuria fiat. Quum Scaccarij moderatores, vestra pietate, & prætextu sanctæ legationis, ad eos spoliandos abutantur; Præsertim, quum in vobis amicis & propinquis meis summum præsidium ad eos tuendos semper posuerim. Hac de re tota, sum acturus cum Sereniſſimo nostro Rege, post biduum aut triduum; Quod vbi fecero, intelligetis quid à me sperare possitis, sperare autem potestis quæcunq; iusta, aut æqua sunt, omniaq;

quæ ab amiciſsimo fratre præſtari debent eoque qui ne vitam quidem ipſam tanti putat, vt eidem non præferat pietatem, & huius cauſæ, ad quam vos athletæ comparati eſtis, victoriam. Bene valete. *Id. Maijs.*

1586.

Dilectus veſter frater & cooperarius in Chriſto Ieſu

PATRICIVS ADAMSONVS.

SE.

SELECTIORA QVÆDAM EX ALIIS PERMVLTIS, Authoris Epigrammata.

VALTERI MILLEI MARTYRIS in Scotia Epitaphium.

NOn noſtra impietas, aut actæ crimina vitæ,
Armarunt hoſtes in mea fata truces.
Sola fides Chriſti, Sacris ſignata libellis,
Quæ vitæ cauſa eſt, eſt mihi cauſa necis.

DOCTISSIMI PRÆSVLIS, AC VIRI Vndequaque ornatiſſimi, D. *Ioannis Iuelli*, Epiſcopi Sarisburienſis, Epitaphium.

CAltha, velut flores, tenebris ſub noctis opacæ
Occulit, & triſti nubilat ore caput.
Læta ſed optatos Phœbi ſe pandit ad ortus,
Et folia auricomi flectit ad ora Dei:
Sic te, dum Mariæ Regnum Caligo teneret,
Externo, fama eſt, delituiſſe ſolo.
At raras dotes, patriæ in, Regina, theatrum
Produxit, radijs, Elizabetha, ſuis.
Tu Chriſtum, Præſul, verum es Titana, ſequutus,
Voce ſalutiferum, teſtificante, inbar.

At veluti Sol iste tuus, non occidet vnquam,
Sic, nunquam pietas interitura tua est.

IOANNIS LYNDESII, AB EOdem Comarchæ, Epitaphium.

FVnde pias lachrymas, funus qui hoc triste videbis,
Et pudeat siccis præterijsse genis.
Lyndesiæ flos ille Domus, & nobile pignus,
Morte citâ, at famâ nunquam obiturus, obit.
Rarus frontis honos, & amæni gratia vultus,
In celso nusquam corpore næuus erat.
Mens pia, & inscriptum generoso pectus honesto,
Iunctaque cælesti cum pietate fides.
At nunc, sydeream cœli conscendit in arcem,
Inter honoratos excipiendus auos.
Nunc cinis, & tristi, mortis de carcere, liber;
Sub pedibus, terras spectat, & astra suis.
Et Domino fruitur, mortem qui extinxit, Iesu,
Nam via iam vitæ est, quæ via mortis erat.

CARMINA PAPAM LAVdantia non incusantia.

ITaliæ decus est quouis nec tempore Papæ
Gloria decrescet quæ modo splenduerat.
Eximia illius vanascet gloria nunquam
Maxima laus crescet ac decus egregium.

Impe-

Imperium ſtabile & conſtans teneas nec inane
Nomen vel paucas ſub pede diuitias.
Clauigerum Ioua non Dæmon te fecit haberes
Limina cœli non ditis vt Imperium.
Clauigerum ſibi te Chriſtus non peſſima mundi
Gloria te ſeruum iam ſibi conſtituit.
Promeruit tua laus regnum nunquam quod abibit
Gloria ſit ſtabilis nec citò diſpereat.
Lex pia non mala fraus Chriſti non propria fecit
Subdere te mundum ſic tibi morigerum.
Propterea tibi ſit Cœlum non Tartara ſedes
Sydera non Orcus ſint tibi delitiæ.

SACRIFICORVM LAVS non vituperium.

Sacrificos pia lex Chriſti non perfida Papæ
Sanctio Miſſaſtas tot ſibi conſtituit.
Progenies pia non Papali ex fæce creata
Sorde ſine eſt vlla non ſine munditie.
Concelebrant ſacra nec peruertunt myſtica cœnæ
Symbola nam Chriſto non ſibi crediderant.
Artifices tamen hi nouerunt condere numen
Flabile nec fruſtra vel male Sacrificant.
Erigitur Deus hic turbis ſpectandus honore
Dignus latriæ non dape dedecoris.

Epigrammata.

Religio ſacra nos docuit non fabula naſci
Numina verborum vi Cruce murmuribus.

EPITAPHIVM ABBATIS CROSSAGVEL. 1564.

VÆ mihi quòd Papæ dederam nomenque fidémque,
Væ mihi quod Chriſti ſtrenuus hoſtis eram:
Væ vobis Papiſtæ omnes, niſi tempore vitæ
Vos Chriſtum amplexi Pontificem fugitis.

AD FRATRES SOCIETATIS IESV mentito nomine nuncupatos, qui ſe omnia gratis facere iactitant, Adhortatio, vt Regnis diſcedant gratis, vt & inde cædes & prælia regnis migrent.

DIſcere qui gratis *ſoliti*, gratiſque *docere*;
Ædificare domos, fucorum aluearia, gratis;
Iuſtitiæ ſanctam gratis *corrumpere dextram*;
Edicta intrepidi contemnere Regia gratis;
Teſtamenta ſenum captare, & prædia gratis;
Pauperibus docti legata auertere gratis;
Qui populi mores turbatis, & otia gratis;
Inſidias ſtruitis, renuentes munera gratis;
Cum tactæ nares, lucri maioris odore;
Cantatis gratis, gratis *plorare iubentes*,

Sedibus

Sedibus antiquis mira quos pellitis arte:
Fas quibus eſt gratis *pueris orbare parentes:*
Vos ego adoro lubens, O Seruatoris Ieſu
Fœlices ſocij, & fatui noua numina Sæcli,
E noſtro vt migrent cædes, & prælia regno;
Omnia qui facitis gratis, *diſcedite* gratis.

AD ILLVSTRISSIMVM ET SERENISSIMUM Principem, Iacobum ſextum Scotorum Regem, Adhortatio, quâ ſe audiri poſtulat, grauiſſimis aduerſariorum odijs & iniquis calumnijs laceſſitus author, alloquens Muſam.

AVſpicijs î muſa bonis, pete limina Regis,
Difficiles aditus non habet ille locus.
Inuenies illic caſtas, tua vota, ſorores,
Muſarum Princeps præſidet ipſe choro.
Cùm te lugubrem, cùm triſtia viderit ora,
Inquiret ſubitæ, quæ tibi cauſa viæ eſt.
Tu veniam præfata prius, pedibuſque voluta,
Pro Domino lachrymas dixeris eſſe tuo.
Abiecit muſas, ſpretiſque Heliconida lymphis,
Et luctu & lachrymis vix ſupereſſe putes.
Neſcio quid toto ſuſpirat pectore Regem,
Regem ſole nouo, ſole cadente vocat.

Nec petit ille nefas, iusta libramine lancis
Postulat imperij iura, fidemque tui.
Siue illum occultis technis gens subdola vexet,
Seu premat opprobrijs Meluiniana cohors.
Audi illum, Rex, audi, inquam, si vera recordor,
Haud vnquam causæ defuit ille tuæ.
Cùm quondam assereret, triplicis tua iura Coronæ,
Parrisijs arcto carcere vinctus erat.
Et quum dissereret, tua magna encomia laudans
Londini, applausus læta Theatra dabant.
Tempora quid memorem, quorum pars magna fuisti
Inuidiosa, quibus fidus athleta fuit.
Sic proprias exhausit opes, impendia nulla
Rettulit: hæc aulæ gratia sola fuit.
Quod te per musas, geniumque, & debita fatis
Regna tuis, nostri nunc miserere precor.
His dictis, postquam surgentes ordine musas
Viderit ad lachrymas ingemuisse tuas,
Et tristi aspiciens BARTASSIA NVMINA *vultu,*
Haud dubiè votis annuet ille tuis.
Tu voti compos, caueas ne deside pennâ
Segnior in laudes repperiare suas.

AD

AD EVNDEM REGEM INVICTISSIMUM, Iacobum sextum, Scotorum Regem, Iani Calendæ. 1588.

SVm tibi, sum Princeps, redeuntis tempore Iani,
Heroo Iobum carmine pollicitus.
Squalet adhuc pauper, nec fœdos exuit artus,
Et toto regnat corpore dira lues.
Nec ficti, vt par est, miseri solantur amici,
Bellaq; crudeli sæuiùs hoste gerunt.
Impia nec coniux, verbis desistit amaris,
Illita lethifero pocula felle bibit.
Non tibi tristitiam, sub Iani offerre Calendis
Ausim, non iræ iurgia fœmineæ.
Non fictos socios, nec territa membra pauore;
Lætitiam & ludos Ianus amare solet.
At mox Ioua, iterum Iobo sua pignora reddet,
Et dupla faciet prosperitate frui.
Tum tua, Rex, forsan non dedignabitur ora
Melpomene, Heroam percutiente lyram.
Crede mihi, cùm penè suo Sol decidit axe,
Inferniq; ruens terruit arua poli;
Exiguâ noster Helicon exaruit vnda,
Nec poteram in numeros sollicitare lyram.
At nunc quum rediens rediuiua lampade Phœbus,
Suppeditatq; suam promptus Apollo chelyn;

Comptior vt Iobus metro, quàm diuite gaza,
Conspectum subeat, Rex IACOBE, *tuum.*
Intereà, fœlicem annum, fœlicius æuum,
Et vitæ, & Sceptri gaudia longa precor.
Et fortunatas in sæcula multa Calendas,
Quas vicibus Ianus fertq; refertq; suis.
Detq; Deus quodcunq; velis, quodcunq; peroptas,
Et mihi det, vatis te meminisse tui.

AD EVNDEM REGEM INVICTISSIMUM, in Threnos Ieremiæ carmine reditos, Iani Calendis. 1590.

Accipe Iirmiæ, Princeps, lamenta Prophetæ,
Fatidico vates quæ pius ore canit.
Accipe quas patriæ lachrymas, vrbiq; parentat,
Flebile diuini carmen oloris habe.
Cùm Solymem cecidisse vides, mortalia nulla
Crede, diu stabili posse manere loco.
Cùm periit Solyme, scelerati rudera mundi
Mirum est peccati mole perire sui?
Altera sed Solyme est, quæ Christi Ecclesia fertur,
Sæua procelloso quam quatit vnda mari.
Quam contra insidijs, sinuosus dimicat anguis,
Regnaq; Tartareo commouet ima lacu.
Illam inuicta fides, clypei munimine sacri
Protegit, & galeam crista salutis amat.

Thorax

Thorax iuſtitiæ eſt, veri ſunt cingula lumbis,
Verbi acies ſacri, bellicus enſis adeſt.
Geſtantur pedibus lætæ ſandalia pacis,
Quæ Crucis in ligno cuderat arma Deus.
His Satanæ furias, his iras deſpicit Orci,
His ſemper victrix in ſua caſtra redit.
Hanc, Regem nutrire æquum eſt, dextrâque tueri,
Regno propitium qui cupit eſſe Deum.
Huc contende, Heros, ſolida hæc, en gloria ſola eſt,
Quæ dederat Chriſto ſubdere Sceptra Duci.
Eſt etiam Solyme, ſublimibus alta columnis,
Quâ, via ſtelliferum lactea ſulcat iter.
Hanc tibi ne optarem vetuit fauſto omine Ianus,
Tempora qui retrò, quique futura videt.
Dum famâ impleris terras, virtutibus aſtra,
Iunctaq; ſint Sceptris utraque regna tuis.
Dum fœlix ſoboles numeroſa geſtiat aula,
Et ſpes perpetui longa nepotis erit.
Dum numeres multos generoſo Marte triumphos,
Neſtoriique æques tempora longa ſenis.
Dum Solymæ vindex quæ terræ militat oris,
Cœleſtis Solymæ ciuis adeſſe velis.
Sic Bifrons, Phœbique nouæ fulſêre Calendæ,
Et flamma exarſit candidiore dies.

Epigrammata.

IN PARPHRASIN APOCALYPseôs, à Sereniſsimo Rege IACOBO Magnæ Britaniæ, Franciæ, & Hyberniæ Rege, fideiq; defenſore, &c. Doctiſsimé & accuratiſsimè Editam.

ECce alas ſenas Cherubin, ſolioque vehentem,
Vt reſerat Iudæ, myſtica ſigna Leo.
Clangenteſque tubas ſeptem, tonitruque tremendo
Perdita regna hominum, perdita regna Dei.
Exulat vt Cœlo ſerpens, Eccleſia pugnam
Suſtinet, & victrix ſub Cruce bella gerit.
Imperium Romanæ vrbis, veteriſque, nouæque,
Hæc Agnum ſimulat, ſed ſimulachra colit.
Vox Euangelj reſonat, Babylonque repentè
Corruit, exhaurit pocula plena furor.
Funduntur ſeptem phialæ, quos beſtia ſignat
Hos ira, & Ioûæ triſtia tela manent.
Hæc illa eſt meretrix, ſeptem quæ collibus vrbis
Inſidet, infami mollis adulterio.
Hæc Regum domitrix ſanctorum imbuta cruore,
Facta eſt immundis hoſpita ſpiritibus.
O ter fœlices, quos Agni accumbere menſæ,
Et ſacris ſponſæ contigerit thalamis.
Corpora quæ tellus, quæ vaſtum abſorbuit æquor,
Iudicio ſiſtet mors rediuiua Dei.

Tellu-

Tellurem, cœlumq; nouum, gemmiſq; micantem
Sponſam Agni, & Solymæ mœnia celſa piæ.
Hanc vrbem viuit latices, flumenque perenne
Irrigat, hanc vitæ fertilis arbor alit.
Nil templo, nil ſole opus eſt, ſic gloria Chriſti
Eminet, & celſa fundit ab arce iubar.
Magnus Ioannes, rapido de fulmine natus,
Æthereo immenſum ſic tonat axe Deum.
Quemque nouo vidit radiantem lumine Chriſtum
Monte Tabor, Cœlo hîc ſplendidiore videt.
Quippe ſinu Chriſti recubans, myſteria ſuxit
Ardua, & arcani myſtica regna poli.
Hæc, hominem ſuperans, hæc, ipſum ingreſſus Olympum
Explicat, hanc laudem Rex IACOBVS *habet.*
Fulminis hic etiam natus, ſed fulmine maior,
Fulgetra cœleſti ſplendida luce ferens.
Hic Rex auricomi capitis ſi ſceptra teneret,
Nil opus ariolis, nil Daniele foret.

ILLVSTRISSIMÆ AC ORNATISſimæ Heroinæ MARIÆ D. O. M. Gratia Scotorum Reginæ Epitaphium.

ORnarant Mariam triplicis Diademata Regni;
Scotica iure ſoli, Gallica iure tori.
Anglica reſtabant, tantæ mors æmula laudis
Obfuit, vt ſoboli ius cluat imperij.

EIVSDEM PIENTISSMI AC DOctiſsimi Præſulis moribundi, Apoſtrophe ad ſuam Animam.

O Anima, aſſiduis vitæ iactata procellis,
Exilij pertæſa grauis, nunc lubrica tempus
Regna tibi, & mundi inuiſas contemnere ſordes:
Quippe parens rerum, cæco te corpore clemens
Euocat, & verbi crucifixi gratia, Cœli
Pandit iter, patrioque beatam limine ſiſtet.
Progenies Iouæ, quò te cæleſtis origo
Inuitat, fœlix perge, æternumq; quieſce.
Exuuiæ carnis, cognato in puluere vocem
Angelicam expectent; ſonitu quo putre cadauer
Exiliet rediuiuum, & totum me tibi reddet.
Ecce beata dies: Nos Agni dextera, ligno
Fulgentes Crucis, & radiantes ſanguine viuo
Excipiet; Quàm firma illic, quàm certa capeſſes
Gaudia, fœlices inter, nouus incola, ciues.
Alme Deus, Deus alme, & non effabile Numen,
Ad te vnum & trinum, moribundo pectore anhelo.

EIVS-

EIVSDEM PIENTISSIMI Præsulis Epitaphium.

Quisquis ab extremo veniens oriente viator
Pergis ad Occeani, qua Sol cadit aureus, vndas:
Seu procul à medij calidis humoribus austri
Tendis, hyperboreo rigidum contingere littus
Frigore, & insano ventos aquilone furentes,
Excîtus fama ingenti, quæ tanta sub auras
Fertur, & immensum latè circumuolat Orbem
Magna sonans, magnum assiduo vigil aëra cantu
Dum stridens mouet, atq; solo expatiata repentè
Sublimem excelso tollit super æthere magnum
Regni Primatem doctum, prob, funere ademptum,
Mutasse & roseum pallenti morte colorem:
Hîc consiste. Vides atro de marmore limen
Vicinum, tumulumq; grauem, quo membra sepulchro
Mortua conduntur, magni post funera Patris:
Liuida proh hominem mors corripit, occidit vnâ
Occidit Aonidum clarum decus: ipsaq; acerbo
Fleuit inexpletum mæstissima Scotia casu:
At passim errantes lachrymas fudêre Camænæ,
Et genus Aonidum vates, & quisquis amænum
Facundo volucris fontem bibit ore Caballi.

Epigrammata.

Nec minus attonitæ gemuit pars maxima plebis:
Indeploratum non hunc in nocte ſupremâ
Relligio pietáſq; ſinunt, & numina Diuûm.
Sic humana Erebi rapit implacabilis atra
Omnia nocte lues, ſic altum exangue ſoporem
Corpus humo carpit gelida, maneſque ſepulti!
Fama ſed æternum durat, multóque ſuperſtes
Viuit inextincto per ſæcula nomen honore.

THO. VOLVSENVS

parentauit.

EIVS-

Eiusdem aliud,

De vita & morte Authoris.

NAturâ Orator suadens, suavisque Poëta,
Mystica diuini defungens munia verbi
Sex & vicenis annis, ac munere sacro
Præsulis Andreiæ fani sacratus, in alti
Immortale decus Iouæ, populique salutem.
Multa hic perpessus Christi sub marte cruenta:
Decubuit mœrore animi: quique omnia pridem
Pertulit inuicto constantis robore sensus,
Non tulit immites mystas: hinc lenta sequuta est
Tabes, lethifico carpens præcordia morsu.
Occidit: haud facilè æqualem cui nostra tulerunt
Secula, degeneri sensim euanentia prole.
Agnoscunt docti iacturæ vulnus acerbæ;
Præsulis & funus, proh incassum, lumine lugent.

Eiusdem in eundem.

EHeu, quàm varijs sors casibus omnia mutat,
Quàm felix aliquid non sinit esse diu.
Terra quoque & cœlum modò ridet, & modò lugent,
Forma nec in rebus permanet vna suis.
Eheu quale decus mors abstulit inuidia, vatem
Quem genitum doctâ Pallade nemo neget.
Atqui vbi in humanis nulla est constantia rebus,
Quid spe fallaci pascere vota iuuat?
Quò vigor ille animi? quo strenua corporis illa
Dexteritas abijt? quo nitor ille tuus?
Hæc simul inuoluit crudelibus Atropos vmbris,
Nullaque sunt de tot signa futura bonis.
Te venerande parens, animæ documenta ferentem
Optima, diuino sensimus ore loqui.
Nunc tecum occubuit trinæ præstantia linguæ,
Et cecidit priscâ cum pietate fides.
Græcia te luget lachrymis, Heber, atque Latinus,
Interitumque gemit terra Britanna tuum.
Illa tamen nobis restant solatia, quod te
Erepto, superest pars quoque magna tui.
Viuit enim, viuetque diu tua gloria, cuius
Viuida scriptorum surgit honesta manus.

Mul-

Epigrammata.

Multos priſca viros inſignes, protulit ætas,
Extincto quorum corpore, fama iacet.
Mortalique manu totum quæcunque per Orbem
Sumptibus immenſis ſtructa fuere cadent.
Hoc facit annorum ſeries, niſi temporis atros
Exuperent morſus, ſcripta diſerta virûm.
At tibi ſi nequeo vitæ immortalis honorem
Non permanſuris tradere carminibus.
Si mea iam notis ſparſere liquoribus ora,
Cum Muſis Nymphæ quæ loca ſacra colunt.
Qualiſcunque mihi libato venit ab amne,
In laudes ſurget ſpiritus ille tuas.
Et memor officij ſemper, gratuſque, piuſque,
Incidam tumulo talia verba tuo.
Hîc iacet ANDREIÆ *Præſul meritiſſimus Orbis,*
Adami Sobolis, Patriciaque notæ.
Cuius recta fides, ingens prudentia, fidum
Conſilium, grauitas digna Catone fuit.

Epigrammata.

Eiuſdem.

Patricius iacet hîc, Adami : cætera norunt
Et Tagus, & Ganges; forſan & Antipodes.

Eiuſdem.

Hîc ſitus eſt vates, cuius ſi cuncta periſſent,
Virtutum ſeptem vix ſat erunt tumuli.

D. Eli-

Epigrammata.

D. ELIZABETHÆ Arthuræ, Chariſſimæ ac Lectiſſimæ olim Coniugis eiuſdem Patricij Adamſoni, Sanctiandreæ Præſulis, Quæ eo ſtatim demortuo, nimio dolore fracta, conceſſit Olympo.

EPICEDIVM.

ECce virum Angelicæ, iam iam rapuere cohortes,
Turba eheu, letho, ſegnis inerſque meo.
Quin potius noſtræ rumpantur ſtamina vitæ,
Sit mea cumque meo, vitáque morſque viro.
Cur mea fata ſinunt, tanto ſupereſſe dolori?
Cur tua ſumme Deûm, dextera ceſſat iners?
O me vtinam letho, comitem tibi fata dediſſent,
Heu vitæ quondam, ſpéſque, ſaluſq; meæ.
Ne quam iunxit hymen, diuelleret Atropos à te,
Sed coniuncta forent funera noſtra tuis.
Nunc ſæuos inter gemitus, lachrymáſque relinquor,
Nec ſine te grata eſt vita futura mihi.
Ipſa dolore graui nimium confixa reſeruor,
Fortunamque timent iſta ſubire meam.
Et mihi vir tecum moriendi iura negantur,
Parcaq; non gratam prorogat vſque diem.
Vos precor, ô ſuperi, ſi quid pietatis & æqui eſt,
Si flectunt vllæ Numina veſtra preces;

Epigrammata.

Ante oculos vestros inter penetralia mortis
Sint coniuncta suis funera nostra rogis.
Icta manu, iurata fide, rata numine teste
Fœdera coniugij, rupta fuere mei.
Quàm procul & Dominum miseræ seiunxit amanti,
Cùm patrios adijt nobilis vmbra polos.
Et quoniam prohibent aliter me viuere fata,
Et de me certa est alea iacta manu:
Ecce vocat quocunque, viam dux præuius: ecce
Vsque sequor coniunx, vxor, & vsque comes.
Seu cœli secat astra super, seu deuia terræ,
Distrahor, & terram versus & astra super.
Lætitiæ, luctusque, locus communis, & vnus;
Cùmque meante meo, cúmque cadente cado.
Contiguúmque latus lateri fit, dextera dextræ,
Cippus, & vna quies, vnus, & vnus amor.

Chariſſimæ Socrui,

Tho. Voluſenus,

æternâ, mærens, mactat amicitiâ.

IACO-

Epigrammata.

Iacobi Adamſoni, filij eiuſdem D. ELIZABETHÆ ex Preſule primogeniti, virtutis & expectationis magnæ, qui ſtatim parentibus vitâ functis, fæliciter expirauit.

EPITAPHIVM.

MAtris imago patri, genitoris imago parenti
Vnus eram, talis forma, vigorque fuit.
Atropos eripuit, genitoris ne domus olim
Me creſcente, alijs inuidioſa foret.
Sed mihi quos rapuit, ſecat illa parentibus annos,
Vita erat vnde mihi, mors ſit & inde, iuuet.

Eiuſdem, in eundem

EPICIDION.

NOn quiſquam ingenio melior, non promptior ore,
Gratior aut vultu, non vi præſtantior, altos
Se celerem ſuper edere equos, iaculumque, ſudemque
Amento, atque agili procul exturbare lacerto,
Altaque vibratum per nubila condere diſcum,
Spartanæque artes verſare, doloſque paleſtræ.
Et foueam ingentem ſaltu tranſmittere, & vndis
Inſurgentem amnem volucri ſuperare natatu.
Cretenſi de more alter non rectius arcum

Ten

Epigrammata.

Tendit, & in gyrum baleares torquet habenas,
Sulphureóque graues longè iacit impete glandes;
Artibus & diuersa nouis, nemo acrius arma
Tractat, & hostiles fallit magis impiger ictus.
Te renuente tamen, non vlla resistere virtus
Eualeat, licet ipsi omnes tua numina contrà
Tendamus superi, totusque repugnet Olympus:
Tu genitor da posse, tuam cùm fata minantur
Imploremus opem, tu res amplectere nostras.
Ille diu vixit, qui dum cælestibus auris
Vescitur, implet onus laudis, cœlúmque meretur.

Tho. Volusenus

mærens sacrauit.

EIVS-

Eiuſdem.

In obitum Viri verè probi, pij & docti, *Roberti Rolloci* Gymnaſiarchæ Edinburgeni, ac ibidem Paſtoris, Epitaphium.

TV nunc exuuias liquiſti corporis huius
Rolloce, aſt ſummo lux noua iuncta polo.
Fulſiſti inter nos lumen radiantius, at nunc
Aſtra tuo aſpectu languidiora micant.

Eiuſdem in eundem.

VIxiſti Chriſto, vixti Roberte Camænis,
Téque vetat Chriſtus, téque Camæna mori.

Eiuſdem.

In pientiſſimi, ac Doctiſſimi ſenis obitum, *Roberti Pontani* Paſtoris Edinburgeni, Epitaphium.

QVæ te ſtante ſtetit ſacrorum curia, tecum
Heu! Pontane, cadit, téque iacente iacet.

Eiuſdem

IN AVGVSTISSIMI ET INVICTISSIMI PRINCIPIS, IACOBI Magnæ Britanniæ, Galliæ, & Hyberniæ Regis, fideiq; defenſoris, In Scotiæ Regnum reditum 13. *die menſis Maij.* 1617.

QVæritis vnde nouo diffuſum lumine Cœlum
Rideat, inuiſas quidue fugarit aquas?
Cur liquidus nullis agitetur flatibus aër?
Cur placidum tacitis ſtet mare littoribus?
Almáue cur poſito tellus ſqualore vireſcat,
Et ſe purpureis floribus induerit?

Epigrammata.

Quid quæque exultet ramis frondentibus arbos,
Cur ſolitum repetat garrula carmen auis:
Non hic cauſa fuit, mutato ſydere Phœbus,
Nec vaga roriferis Cynthia luminibus.
Sed modò cùm rediit Rex noſtras magnus ad oras,
Reddidit aſpectu cuncta ſerena ſuo.
Quin Rex humanos meritis ſuperauit honores,
Mirantur que nouum ſæcula noſtra Deum.

Ad Eundum Sereniſs. Regem, Edinodunum, Regni Regiam ingredientem, 16. Maij 1617. eiuſdem.

DEſeruit ſolito formoſior æquora Titan,
Illuxit votis ſæpè petita dies;
Quâ tu Scottigenæ gentis moderator & auctor,
(Cui dedit omnipotens ſceptra verenda frui,)
Dirigeres noſtras iter expectatus ad oras,
Regiáque intrares hoſpita tecta Patrum.
Quid potuit noſtris contingere gratius oris?
Quidue tuo maius numine terra dare?
Interea, lætis clamoribus inſonat æther,
Et tibi fert patrios obuia turba Deos.
Vndique concurrunt, in te ſua lumina paſcunt,
Exoptat longos & tibi quiſque dies.
Augurijs ſibi quiſque animum fælicibus implet,
Et ſuſcepta tuo nomine vota facit.
Vnum omnes pariter te poſcere fata loquuntur,
Quo duce, Papalis fax ſcelerata cadat.

Nulla

Nulla tuis poterit maiorum gloria rebus
Æquari, & cedent cuncta trophæa tibi.
Viue diu fælix, Superi tua vota ſecundent,
Vt ſubeat ſolidum terra Britanna iugum.

INCLYTISSIMO AC NOBILISSIMO HEROI, Carolo Valliæ Principi, Duci Cornubiæ, Salutatio Tho. Voluſeni.

SAlue magne puer, ſtellis fælicibus orte,
Fatidicis vatum nobilitate modis.
Cui bene diſpoſito coëuntia ſydera curſu,
Promittunt ſceptris omnia læta tuis.
Tu genus à priſca qui ducis origine Regum,
Imperioque refers aurea ſecla tuo.
Quò te fata vocant pergas, tibi lata parantur
Imperia, & generi nomina magna tuo.
Salue magne puer, Regis magni inclyta proles,
Brittanni ac magni ſpeſque decuſque ſoli.
Chare nepos Regum, toto quos orbe potentes
Ac meritis claros cernimus eſſe ſuis.
Nulla tibi generis potuit contingere maior
Gloria, ni Cœli miſſus ab arce fores.
Eid age, creſce puer, certiſſima cura Deorum;
Blanditiæ magni deliciæque patris.
Qui propriâ gaudes virtute excellere, cuius
Gloria nullius creſcere laude poteſt.
Quo nihil à ſuperis optet Brittannia maius,
Tradere quo melius nil potuere Dei.

Reſtat adorato Ioue, Numina cuncta precari,
Vt longos viuas, ſecula multa, dies.
Sanguinis vt veſtri creſcat numeroſa propago,
Inclytaque illuſtres turba ſequatur auos.

Vaticinium de Carolo, ex Sanguine Caroli Magni, & Regum Galliæ oriundo, nunc verò Numine bene propitio, tandem fœliciter orto.

REgibus è Gallis orietur Cæſar, & ex te
Carole: déque tuo nomine dictus erit.
Heſperiam Latiúmque reget, rigidoſque Britannos,
Addet & imperio Gallica regna ſuo.
Sacra per hunc olim rurſus victura reſurgent,
Et vetus Imperij reſtituetur honos.
Tunc populus veniet, duce nullo, cui caput vſquam
Non erit: hinc luctus damnáque ſacrificis.

Eiuſdem in diem Natalem Inclytiſſimi ac Nobiliſſimi Herois Caroli Valliæ Principis, Ducis Cornubiæ, &c.

SPargite Io flores, ter Io, ter dicite carmen,
Ter ſonet aurata caſta Thalia fide.
Spargite Io magni redolentia munera Phœbi,
Lætáque cum ſancta fundite verba prece.
Iam procerum gaudete cohors veneranda Britannûm,
Natalem noſtri Principis ecce diem.
Dicit Io, iam dicit Aue, blandoque precatu,
Dirigit ille tuos, Carole, ritè pedes.
Temperat ac motus varios, arcana recludens
Fata, Sibyllinis nobiliora notis.

Iam

Iam lætare ſacris Soboles Brittannica verbis,
Te penes eſt magni gratia pacta Dei.
Rideat omnis ager, tibi rideat omnis Olympus,
Et patris, & Matris gaudia magna puer.
Fœlix matre puer, fœlix patre, & altera, & alter,
Prole, thoro, vobis terra beata tribus.
Hîc caſtæ Aonides, caſtâque & Pallade Phœbus,
Sceptriferâque habitat Iuno verenda manu.
Dulcia ſepoſitis agitemus gaudia curis,
Carole macte, tuum nomen vbique ſonet.
Natalem cuncti mecum celebrate coloni,
Et poſitis ſulcis vndique ceſſet opus.
Hunc nitidi, ſeruate diem, vincliſque ſolutis
Demant ſeruitio libera colla boues.
Nunc agitate choros, & carmina dicite læti,
Nec nitidum ſacro ſtet ſine flore caput.
Tibia nunc hilaret bifori conuiuia cantu,
Atque habeant nullum verba iocoſa modum.
Nunc proferre decet quos miſit Eous odores,
Quoſque Hiſpana nouo puppis ab orbe tulit.
Tu quoque qui magni nunc incolis ora Britanni,
Carole, natali munera ſolue tuo.
Viue diu, ſimiliſque tui generoſa propago
Finiat extremum non niſi ſera diem.

Eidem Illuſtriſſimo ac Nobiliſsimo Heroi, Carolo Valliæ Principi, Duci Cornubiæ, &c. Iani Cal. 1618.

Eiuſdem.

QVæ mihi ſunt Muſæ comites, vatumque Camenæ,
Quæ fallit dulci carmine Pallas iter:

Quique ſuis nondum radijs vada cærula ſoluit
Delius, aſtricto continuata gelu:
At fauet, & claro nitidus me ſpectat Olympo,
Dum Phäetontæos acrius vrget equos.
Hi ſaluere nouis, cupiunt te menſibus anni,
Carole, Brittanni gloria magna ſoli.
Hinc, dijs ſi quâ fides, ſi vera oracula Phœbi,
Laudibus eſt ingens Gloria parta tuis.
Te manet, O Cœlo Princeps digniſsime, munus
Ætherei in terris imperiale Iouis.
Hoc obeas, ſubſintque tuæ magnalia curæ
Altiùs, auſpicijs læta futura tuis.
Nec mihi dux Pallas, nec qui vix æquore vultum
Extulit, & claro Cynthius ore nitet:
Nec mihi ſint Muſæ comites: Helicona Thalia
Deneget & ſacras fons Heliconis aquas:
Ipſe bifrons Ianus geminam ſub tempora frontem
Contrahat, & menſi nolit adeſſe ſuo,
Si tibi, qui motu aſtrorum nouus incipit annum
Fœlicem, auſpicijs non precer eſſe bonis.
Hic tibi lætus eat: noſtris ea numina votis
Nec deſint, quorum te ſibi iunxit amor.
Omnia ab ætherea qui dat Pater optimus arce,
Quique iubet clarum te decus eſſe tuis.
Annuat ille precor, Iani tibi, magne, Calendis
Carole: (nec vanum hoc menſibus omen eat.)

Vt Rex, vt Proceres, quorum tua gaudet amore
Virtus, ipsa vt te Patria, semper amet.
Læta diu terris seruent te fata, Cœlum,
Donec in extincto lumine sydus ames.

Eidem.

Inclytissimo Heroi, CAROLO VALLIAE Principi, Duci Cornubiæ, &c. Carmen eiusdem.

O Prima nostri gloria seculi,
Stirps alta Regum, Carole, qui prior
Assurgis inter digniores
Conspicuus pietate Reges.
Te missum Olympo, dulce sororibus
Solamen ipsis, præsidium, decus:
Fautore passim te, canora
Læta sonanda lyra poëtis.
O viue felix, optime Principum:
Te fata seruent incolumem, cui
Semper Camænarum patrono
Dulce canat mea musa carmen.

In Eduardi Farfaxi, viri Patritij, Eboracensis, ac Poëtæ insignis, Satyras; Censura Tho. Volusseni.

ET Phœbum, castasque doces Farfaxe, sorores,
Salsa verecundo verba lepore loqui.
Vlla nec in toto prurit lasciuia libro,
Pagina nulla minus, quàm tibi vita proba est.

In obitum D. Margaritæ Fouleiæ, Lectissimæ coniugis D. Tho. Hamiltonij, à Binnie Domini. Carmen Lugubre.

IMpia te postquam, duri violentia fati
Eripuit charo, chara Fuleia viro.

Hanc

Hanc voluit, tecum licuisset ponere vitam,
Morte vel in lucem se reuocare suâ.
Coniugio fælix sponsus, fælicior olim;
Nunc sine te mæstis linquitur in lachrymis.

Eiusdem in Bathsuæ Reginaldæ Virginis Londinensis Philologæ, & Philoglottæ Raræ, 16. ætatis suę anno, Encomium.

AEmula Pieridum, & magnæ certissima cura
Palladis, en patriam virgo quæ tollis ad astra,
Eximiâ virtute tua, cui non tulit ætas
Nostra parem, Reginalda, O quid Bathsua, dicam?
Te chorus Aonidum secreta per auia ductam
Pierios haurire lacus, vmbrasque subire
Lauriferi nemoris, sedesque habitare beatas
Permittit, comitemque sacri iubet agminis ire.
Hinc fluit ingenuus vigor, hinc sublime videmus
Ingenium, hinc nitidi facundia prouenit oris.
Siue libet faciles numeris includere versus,
Libera seu pedibus componere verba solutis,
Siue quid ipsa paras Graiæ non inscia linguæ;
Quòd si Pegasidum vestigia clara sequenteis
Miramur, colimusque viros; quàm iusta puellam
Gloria, tale aliquid meditantem ad sydera tollet?
Perge puellarum decus, & quâ dextera monstrant
Numina, carpe viam; atque animi bona, (quod facis) alto
Imperio, atque opibus Regum potiora superbis,
Et niueo, roseoque magis pretiosa colore
Esse puta; & musas, pulchrosque amplectere honores
Palladis, hæc tristeis nobiscum ferre Procellas
Fortunæ poterunt, quoties contraria surget;
Illa citò effugiunt, nec qui certamina segnes
Prospiciunt, sed qui pugnant, meruere coronas.

VIRI

VIRI, SVA ÆTATE LITERATISSIMI, ac verè pij, Florentij Voluseni, Scoti, de Tranquillitate Animi.

Ode Dicolos Distrophos, priore versu Glyconico, posteriore Asclepiadeo: vrilla Horatij.

Sic te diu potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sydera.

Nihil esse in hac vita requietis, præter id, quod à Sapientia & pietate proficiscitur.

Carmen cultum, doctum atque pium.

Quid vos, O superi boni,
Quid rerum genium criminor amplius
Falsò? sum dubio procul
Infælix opifex ipse mihi mali.

Frustrà quærito, qui sciens
Haurire ex tenebriis lucem, & in horridæ
Mortis regno habitans miser,
Vitam, vel solidas delicias moror.

Mella, absynthia non dabunt,
Vuas nec tribulus: sic mala gaudia
Vitæ qui sequitur brevis,
Is fructum petit ex arbore non sua.

Formarum iſte decor fugax,
Auri qui nitor effulget in ædibus
Altis, ſtemmata regum, opes:
Luxus, delitias, inſuper addito:

Quicquid luminibus vides,
Et quicquid manibus tangis amabile,
Cuncta hæc puluis & vmbra ſunt,
Et noctis breuis huius, mera ſomnia.

Quod iam præterijt, nihil.
Eſt ventura voluptas citò tranſiens,
Mox ad præteritum venit:
Et tu, quod nihil eſt, tàm cupidè petes?

I nunc, I miſer, & leui
Vento tende plagas (quodq; alius, niſi
Demens Hercule non velit)
Vmbram, quæ fugit, amplectere, ſi vales.

Nolenti quod abit tibi,
Id tu linquere debes etiam volens:
Et prudens ea quærere,
Nolenti nequeant quæ tibi præripi.

Quid prodeſt homini, rogo,
Lucrum totius orbis cum opibus ſuis:
Si poſt hoc breue temporis
Punctum, ſpes animæ nulla relicta ſit?

Quanto

Quantò nunc ſapientius
Is vitam inſtituit, qui ſtudijs pijs,
Et vita innocua ſibi
Munit, cùm migrat hinc, ad ſuperos viam?

Guſtum ſi intereà cupis
Veræ lætitiæ, vel bona tempora,
Liber ſollicito metu
Componas modicus voti animum tuum.

Gyrum ſi finis egredi
Hunc extra rationis, tibi quos ciet
Æſtus, quos ſtrepitus parit?
Et viues miſer, & turpiter inquies.

Si plenam requiem voles,
En, compendia tàm difficilis viæ
Dat ſacræ ſtudium Crucis.
Fælix eſt, animi quem ſtudium hoc iuuat.

Non hunc diuitiæ tenent,
Curæ degeneris vulgi, & amor grauis:
Sed recti decus, & viris
Quæ magnis ſolet æther dare præmia.

Quas nos appetimus, velut
Commoti furijs delicias, fugit:
Sanè, non ſecus ac cruces,
Et mentis remoras, ſcandere dum volet.

Quæ nos prima velut bona
Miramur, penitus ſpernit: & omnia,
Tanquam ſtercora, negligit:
Vnum quò valeat Chriſtum adipiſcier.

Quod vulgus graue iudicat,
Hic perfert alacris: nec ſolidum putat
Vllum (vt cætera ſuppetant)
Huic, cui Chriſtus abeſt, affore gaudium.

Tantum Chriſte, Crucem tuam
Lætus cogitat, in qua ſub imagine
Mortis, conſpicit abditam
Et vitam, & ſuperum perpetuum decus.

Sic (quod non temerè ſolet
Aut multis dare Cœlum) mel hic ex petra
Ipſa ſugit, & ampliter
Duro ex ſaxo oleum, cùm lubet, elicit.

Huic ſoli meritò datum
Vitæ tempus, & æuum placidè fluit
Clauſum pectore, qui tenet
Cunctorum inſtar & hoc pondus habens, bonum.

Extra ſe quid enim volet
Quidquam, qui pretioſum illud, & omnium
Per diſpendia quærere
Quod ſolum deceat, margaritum tenet.

Quantis hei mihi fluctibus
Iactantur reliqui, sæpè quibus sua
Et vota exitium afferunt,
Et curas rediuiuas sine termino?

Summum sæpè vocat diem
Illum, degeneris qui generis timor
Est communis: & exitus
Ingratas lacrymans increpitat moras.

O Nunc, O vtinam furor
Hic me corripiat: sic cupiam libens
Illò pergere, quò velim
Nolim, perbreue post tempus eundum erit.

Præsens auolat, altera
Instat vita: viam non aliam Pater
Ducentem huc docuit, nisi
Quæ chari posita est in Cruce Filij.

Quî nunc luminibus queas
Siccis aspicere hæc impia vulnera,
Auctor quorum es, & è quibus
Ingrato tibi, tam grata fluit salus?

Tu, qui sollicitus fugis
Quod durum est, celer in mollia diffluens:
Qua communia præmia
Poscis fronte, laboris subiens nihil?

Si non tanta potes pati,
Id saltem effice, ne dissimilem sui
Prorsus cernere tequeat
Is, quo cum petis olim fore particeps.

Quod Phœbum propius refert,
Verè lucidius dixeris: & niuis
Quæ sunt alba modò, locum
Inter candida primum sibi vendicant.

Hæc rursus mage dulcia
Sunt, quæ mella imitantur redolentia.
Et plus illa volucria,
Quæ contendere cùm auris leuibus queant.

Ergo dispeream, nisi
Quò CHRISTO *fueris consimilis magis,*
Hòc præstantior exeas.
Is princeps decoris totius est typus.

Persuasum quibus est ita,
Cùm res difficiles acriter opprimunt,
Hoc solamen habent pium,
Quod CHRISTVM *referant hoc melius modo.*

Rari sunt genus hoc viri,
Excellens animi quos vigor eximat
Ex vulgo: quia pulchra res
Semper rara erit, & difficilis simul

Sed nobis ſtolidis venit
In mentem propè nunquam pietatis, &
Quod ſint omnia vanitas,
Donec mors inopina impulerit fores.

Tum primum ſapere incipis,
Damnans præteritam vitam, & inania
Serò gaudia, quæ quidem
Toto pectore paulò antè adamaueras.

Tum CHRISTVM *pauidus vocas.*
Cuius tu, incolumi dum tibi res tuæ
Florerent, meminiſſe vix
Dignabare, Quid hic ſit meriti, vide.

Illuc cùm facias metu,
Hunc nunquam (bonitas illius eſt ea)
Fruſtra amplecteris: attamen
Id multò ſatius, quò citius facis.

Si quâuis aliâ ſtudes
Vndâ extinguere flammas ſitis, aut via
Diuerſa requieſcere
Quæras: vnà opera omnis eum oleo perit.

Si non tanta potes pati,
Id saltem effice, ne dissimilem sui
Prorsus cernere tequeat
Is, quo cum petis olim fore particeps.

Quod Phœbum propius refert,
Verè lucidius dixeris: & niuis
Quæ sunt alba modò, locum
Inter candida primum sibi vendicant.

Hæc rursus mage dulcia
Sunt, quæ mella imitantur redolentia.
Et plus illa volucria,
Quæ contendere cùm auris leuibus queant.

Ergo dispeream, nisi
Quò CHRISTO *fueris consimilis magis,*
Hòc præstantior exeas.
Is princeps decoris totius est typus.

Persuasum quibus est ita,
Cùm res difficiles acriter opprimunt,
Hoc solamen habent pium,
Quod CHRISTVM *referant hoc melius modo.*

Rari sunt genus hoc viri,
Excellens animi quos vigor eximat
Ex vulgo: quia pulchra res
Semper rara erit, & difficilis simul

Sed nobis ſtolidis venit
In mentem propè nunquam pietatis, &
Quod ſint omnia vanitas,
Donec mors inopina impulerit fores.

Tum primum ſapere incipis,
Damnans præteritam vitam, & inania
Serò gaudia, quæ quidem
Toto pectore paulò antè adamaueras.

Tum CHRISTVM *pauidus vocas.*
Cuius tu, incolumi dum tibi res tuæ
Florerent, meminiſſe vix
Dignabare, Quid hic ſit meriti, vide.

Illhuc cùm facias metu,
Hunc nunquam (bonitas illius eſt ea)
Fruſtra amplecteris: attamen
Id multò ſatius, quò citius facis.

Si quâuis aliâ ſtudes
Vndâ extinguere flammas ſitis, aut via
Diuerſa requieſcere
Quæras: vnà opera omnis cum oleo perit.

Eivsdem Flor. Volvseni.

AD EGREGIVM ET SINGVLAREM virum, Antonium Bonuiſium, virum Patricium Londinenſem, Proſopopeia; de virtute & laude.

Dvm totam erraret, fortè incommitata per vrbem
Virtus, nec laudum præmia iuncta forent,
Hoſpitium multos & ſupplex ſæpè rogauit:
Qui daret hoſpitium, non tamen vllus erat.
Adfuit haud multò poſt laus, (res mira) repentè
Laudis in amplexus, vrbs furibunda ruit.
Non ſecus illa tamen, nuper quæ excluſa manebat,
Atque iterum in ſolum eſt ire coacta nemus.
Verùm vbi laus, Dominam virtutem ſenſit abeſſe,
Ad Dominam ingratâ rurſus ab vrbe venit.
Vtraque poſt veniens Bonuiſi tendit ad ædes:
Hîc virtus, pulſa laude recepta fuit.
Nam fraudem ille timens, blanda ſub fronte, recede
Laus (ait) hinc, ſtudijs infidioſa bonis.
Illa refert, fruſtrà me Antoni excludere curas,
Quandoquidem virtus hîc generoſa manet:
Conſequor inuitam Dominam quócunque mearit,
Nec niſi virtuti ſum bene fida comes.

Eivs.

EIVSDEM.

LAVDES ET COMMODA INSVLÆ Britannię, deque lana eiusdem insulę quàm optima & plurima, cunctis exportata gentibus, cum deploratione status Christianismi, cuius intestinâ discordiâ hostis publici potentia obfirmatur.

REgna foret nimium longum memorare propinqua:
Hac se vestit Arabs, & cui rigat arua quotannis
Nilus, ab excelso delapsus vertice montis:
Qui Libyam longo tractu diffindit adustam.
Vtitur hac pariter veteris gens culta Damasci,
Et Cilicum pubes, Cydno perfusa nitente:
Se tegit hac Thracum genus, & quicunque tyrannum
Agnoscunt Scythicæ fœcis, cui dudum orientis
Imperium nostri discordia contulit orbis.
Nunc ne sit simplex dementia, rursus eundem,
Qui genus excindat nostrum, nostrosq; penates,
Viribus armamus nostris, vltróq; vocamus,
Haud secus ac si ensem strictum quis porrigat hosti:
Protinus hoc, dicens, ferrum in mea viscera conde.
Securi intereà, nos inter stringimus enses,
Et placet in bellum plus quàm ciuile geratur.

Nec nos ſacra mouent communia, nec pudor vllus,
Non ſociæ duræ clades, & funera gentis,
Non temerata Dei templa, heu, cultuſque, ſed omnis
Chriſti extinctus honos: quodq; eſt vel dicere tantum
Grande nefas: pietas miſerè peſſundata ſenſim,
Ingenuæq; artes expulſæ, & præmia laudis.
Ille vbicunq; fuit victor, rerumq; potitur.
Nec lacrymæ quondam, quos iam deuicta datura eſt
Poſteritas, fruſtrà queritans pertæſa tyranni
Crudele imperium, necnon paſſura libido
Barbara, quicquid erit ſæui quod iuſſerit hoſtis.
Heu quoties cupient, vt belli authoribus huius
Sit malè, per quos non venienti occurrere damno
Eſt licitum, & primi curſus frænare furoris.
Impia tunc dicent hæc arma fuiſſe, virósque,
Nóſq; ſibi nimium malè proſpexiſſe nepotes.

Eivsdem.

AD AMICVM IVVENEM, IN AMORES prolabentem, vt ſe contineret,.

Admonitio.

EC quid amas, qui corpus amas, niſi putre cadauer
Quod tegit in paucos blanda figura dies?
Negligis infælix animum, licet omnis in ipſo
Sit poſitus noſtræ nobilitatis honos.

Hic

Hic ſapit, hic potis eſt rerum cognoſcere cauſas,
Et terris poſitus ſe ſuper aſtra vehit.
Nec leuis hæc, quam adfert animo ſapientia, laus eſt,
Si rerum expendas callidus ingenium.
Non habet hoc quicquam, quanuis habet omnia, maius
Aurea qui cœli dirigit aſtra Deus.

FLORENTII VOLVSENI CONcluſio, de animi Tranquillitate.

FLorentius Voluſenus in ſuo opere de animi Tranquillitate. Hæc (inquit) quæ verè bona ſunt, ſapientia, moderatio, & magnitudo animi, etſi inter ea alia alijs præſtent: omnia tamen ob id vnum bona & excellentia ſunt, quia illorum poſſeſſione, atque vſu, proximè referimus illud ſummum, atque vnum bonum, Deum: talemque ipſa animo noſtro, ſtatus dignitatem conferunt, vt ille interim nihil euariet ab illa, quæ in Deo ineſt, immò quæ ipſe Deus eſt, bonitatis forma, quæ ἰδέα dicitur. Ad hunc quò propius vnum quodque tanquam pulchri atque boni παράδειγμα acceſſerit, hoc venuſtius eſt, atque amabilius. Ex hac autem notione, quæ in promptu eſt, eueſtigio conſequitur, illa etſi magna, immò ingentia bona ſunt, non tamen prorſus & abſolutè, eſſe propter ſe ipſa expetenda,

ſed referenda eſſe ad Deum ipſum. Niſi fortè tam vecordes ſimus, vt hic imaginem potius, quàm rem, (quod quidem ſine ſummo ſcelere non fit) complectendam putemus. Seneca & Plutarchus, grauiſſimis in iſto argumento tractando, vtuntur ſententijs, ſed fortaſſis minus diſtinctè ac diſtributè collocatis. Cicero, qui ſibi laudem aptè, diſtinctè ornatéque dicendi, ſuo iure, nec ſanè immerito vendicat: etſi diſtributius ijs, quos commemoraui, in Tuſculanis quæſtionibus diſputat: cogitur tamen in eoſdem denuo locos incidere, quos (verbo abſit inuidia) ornatius ſæpè, quàm acutius tractat. Non ſine voluptate vidi Lugduni, Guilielmum Pagetum, potentiſſimi Anglorum Regis legatum, ætate quidem Iuuenem, ſed ingenio atq; ſapientia maturrimum: fuit ille totus demerſus in lectionem Senecæ, eò vnicè delectabatur: quod certè argumentum eſt ſolidiſſimi iudicij: quandoquidem Seneca autor eſt vndecunque grauiſſimus. Sed immenſi operis eſſet de ſingulis quid ſentiam pronunciare. Omnia cùm luſtraueris, ex ſolis ſacris literis eſt ſolida lectionis vtilitas. Fac tibi eſſe ſexaginta Reginas, octoginta concubinas, & adoleſcentulas quarum non ſit numerus: hoc eſt vt tibi ſint omnes & eruditionis & facundiæ opes, quas profani ſcriptores ſuppeditant: vnica tamen ſacrarum literarum com-

Seneca, Plutarchus.

Cicero.

Seneca.

commentatio debet esse, columba tua, perfecta tua, vnica matri suæ, & electa genetrici suæ. O fœlices eos, quorum ea est vitæ ratio omnis, vt ea lucem non reformidet. Verùm illud longè splendidius est, eam tibi cogitationum puritatem, & dignitatem esse perpetuam, vt vel fronte pingi quicquid cogites non recuses, qui pectoris tui arcanis patefactis, admirabilior existeres, interim Sileni in morem neglectis. Cùm contrà alij sint, qui foris niteant: animus, qui verus homo est, si acutis & puris luminibus cerneretur, conspueretur ab omnibus. Salutares sanè sunt hæ, & magnificæ cupiditatis frænandæ rationes. Sed ea est præstantissima, quam religionis suppeditat doctrina, de vitanda turpitudine, ob eam præcipuè causam, ne illi (hoc est, Deo) displiceamus, à quo vno nobis est omne quod placet. Huc pertinent & autores, qui nobis legendi sunt. Si de his, qui extra Religionem sunt, sit sermo: si non tàm linguam expolire, quàm animum virtute collocupletare cupias, nostra quidem sententia ex Græcis legendi sunt, Plato, Plutarchus, Xenophon: ex Latinis, Cicero, & Seneca: Naturas rerum, arte & methodo tradit Aristoteles. Plinius naturæ Histo-

Græci legendi.

Latini legendi.

riam, & citra illam doctrinæ methodum copiosè conscripsit. Sed morum disciplinam quærenti; ex nostris, veterum scripta sunt anteponenda: spirant enim germanum quiddam in Christianismo, & erudita quadam simplicitate nituntur. Methodum tamen sæpè in eisdem desidero. Recentioribus, qui sunt innumeri, & methodus quædam est, & acuminis sanè plurimum: sed magna est rerum ieiunitas, & sæpissimè in ludicris & friuolis, ambitiosè ostentant ingenium. Si quando illis sacra tractantur, nullæ sunt flammæ, nullus impetus orationis, quó accendatur ad rerum amorem lector. Ex vno propè Aristotele barbarè intellecto, omnis illorum commentatio est composita. Placent sanè & illi, Augustini de Ciuitate Dei, libri. Erasmus Roterodamus, vir fuit fœliciſſimi ingenij, tenacis memoriæ & plurimæ lectionis, doctissimus vtriusq; linguæ, qui si plusculum Philosophię imbibisset, & paulò accuratior fuisset in Romani sermonis puritate, nihil neq; nostra, neq; superiora secula vidisset, quod sit cum illius scriptis (vt equidem arbitror) conferendũ. Singularis planè est, & in Ciuilibus, & in Christianis moribus fingendis artifex. Atque de his hactenus Florentius

Authoris iudicium de Erasm.

tentius noſter. De quo plura videre volens, legat accuratè in opere ſuo, de animi Tranquillitate, in formam dialogi redacto, Lugduni conſcripto, eo fortaſſis doctrinæ acumine, nitore, ſtilo, ac linguæ puritate, iuncta etiam ſyncera pietate, quâ ſuæ ætatis rariores, & noſtræ ætatis recentiores perpaucos, eundem æquaſſe putem. De quo videre licet teſtem auctoratum, omni exceptione maiorem, virum ſua ætate doctiſſimum ac diſertiſſimum, Iacobum Sadoletum, Cardinalem, & Epiſcopum Carpentoractenſem, Italum, Epiſtola ſua 16 lib. Epiſt. 6. ad Lotharingium Cardinalem, de eodem Florentio Voluſeno, eiuſq; doctrina & & virtute incomparabili. Et Epiſtola ſua, 13. Româ ſcripta ad eundem Florentium Voluſenum, libro Epiſt. 16. Et Epiſt. 3. & 6. ad Paulum Sadoletũ; vbi de prima notitia, & congreſſu primo Florentij Voluſeni cùm Iacobo Sadoleto, Italię. Cuius prudentiam, modeſtiam, ſingularem humanitatem, ac doctrinam admiratur, & prędicat; cuius ſermonem, latinitatem, & ingenium vndique redolere affirmat: præter ſingularem pietatem, ſupra quam in homine perfecto, nihil deſiderari potuit; adeò vt in Italo homine vix talem expectare potuerat. Accedit etiam & Iulij Cuſpij Calabri, eximij, grauis & docti viri, de Florentio noſtro authoritas,

& iudicium, in opus suum, de Animi Tranquillitate, præfixum, hoc carmine sic inscripto.

IVLII CVSPII CALABRI, Ad Lectorem, Decastichon.

PAuca tibi, Lector, dicam, quæ pauca notarò:
Me certè inuenies non nisi vera loqui.
Magna quidem, vt nosti, res est, facundia, maior
Doctrina est, pietas vincit vtranque tamen.
Hæc simul, vt cernis, tria per se singula magna
Hoc licet exiguum quàm bene iungit opus.
Singula sic magnâ cùm sint digniſsima laude,
Sat liber hic laudis quid mereatur habes.
Sed quia vix habitant tria, quæ modò diximus, vnà:
Vix erit & index qui queat esse libri.

De quo hæc tria verè hoc carmine prædicantur, quæ in vnum raro cadunt; facundia, Doctrina, & Pietas: quæ tria completum & perfectum hominem reddunt, doctum, pium, & prudentem. Quàm verò honorificè & condignè, de ipsa Britanniæ Insula, Australisque eiusdem partis incolis, & de vtriusque gentis coälitione, hæc ipsius verba perspicuè declarant. Popularibus

ribus meis, hoc est Scotis, quos Latinè Calydonios populos dicas, non possum non benè cupere. Nihil enim patriâ dulcius, vt est apud Homerum. οἴπερ καὶ τις ἀποπέσθι ποίονα οἶκον γαίῃ ἐν ἀλιβάπῃ ναίῃ. Anglorũ verò semper in me singularis fuit humanitas, & eorum plerisq; beneficijs, non vulgarib⁹ sum deuinctus. Prætereo florentissimi Regis gratiam, per quem sanè non stetit, quò minus ipse iandudum omnibus eis ornamentis, quæ à fortuna proficisci possunt, sim ampliter collocupletatus. Impiè illa atque intestina bella, quibus Insula, omnium quas sol (quod satis constat) videt, siue soli genium, siue gentium præstantiam spectes, longè princeps & clarissima, assiduè concutitur, non prius, quantum coniecturâ arbitror, finẽ inuenient, quàm ex duobus Regnis vnum confletur: aut certè gentes eæ, vtrinque in eam, quę Christianos decet, hoc est, in sanctam, atque indissolubilem quandam adducantur concordiã, aut coälitionem. Quod faustum fœlixq; sit, & suo tẽpore oportuno faxit Deus.

FLOR. VOLVSENI ORTVS, *Vita, & mors.*

HIc noster, Florentius Volusenus, Natione Scotus, parentibus ingenuis, Morauiæ pro-

uinciâ natꝰ ad Loſſæum amnem, amęniſſimum, diſciplinis liberalibus in Patria educatus; Qui vbi complures annos Philoſophiæ operā dediſſet, in Gymnaſio Abredonenſi, deinde lutetiæ eſt eruditus, ibiq́ue Eboracenſis Cardinalis Voluſeni, fratris filium in diſciplina habuit; à quo multis beneficijs honorificè cumulatus fuit. Poſt, cùm patrui mors, à puero illo Florentium diſtraxiſſet, ad Bellaium Pariſienſem Epiſc. ſe contulit: Cùm quo, itinere in Italiam, Romam verſus proficiſcens, Iacobum Sadoletum Epiſcopum Carpentoractenſem, viſendi ſtudio ductus, & ab eodem humaniter exceptus; haud multo poſt tempore, pręſul ac conſules Carpentoracti, ob ſingularem viri virtutem accenſi ſunt omnes deſiderio retinendi hominis, ad publicam liberalium artium profeſſionē obeundam: Res pacta eſt, tanta ciuium voluptate & gaudio, (teſte pio præſule) vt omnes nouam felicitatem, vrbi exortam eſſe putent. Quin circumferuntur ſermones, quos cum conſulibus habuit, ita liberales atq; ingenuj, vt nil poſſit ſupra. Hic vbi complures annos in Italia, Gallia, alijſq; Europæ nationibus exteris, tranſegiſſet, tandem in patriam rediens, ad Rhodanum, ciuſue ripam, fatis ſuperiſque fæliciter conceſsit. De quo ſic

noſter

noſter Buchananus, oloris conſecrat carmen, & eidem ſacrum, piumque parentauit, his verbis.

FLORENTIO VOLVSENO SCOto, Georgius Buchananus.

Hic muſis Voluſene iaces, cariſſime, ripam
Ad Rhodani, terrâ quàm procul à patriâ?
Hoc meruit virtus tua, tellus quæ foret altrix
virtutum, vt cineres conderet illa tuos.

Vt ait Gregorius ille Nazianzenus,

Αὐτὸ δ' ὅσον πνείω πειταμῆς ῥόος ὦκα θέοντος.

Vbi, de vitæ noſtræ defectione celeri loquitur:
Quod ſic reddi poſſe arbitror:
Spiritus hic rapidæ, nihil eſt niſi tranſitus vndæ.

Homerus, hominum genus φύλλοις, hoc eſt, folijs, aut frondibus ſimile eſſe ait: in quam eandem cogitationem inciderat præclariſſimum illud tolerantiæ exemplum, Iobus, cùm illud ſcriberet, contra folium quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam. Dauid Hieroſolymorum Rex, & Eſaias, natum longè nobiliſſimi hominem florem agri, dicunt; atq; omnem eius quæ ex carne eſt gloriam, perinde ac fœnum ſubitò exareſcere. Pindaro poetæ σκίας ὄναρ eſt homo, hoc eſt, vmbræ ſomnium. Iobus, fugere eundem

Iob. c. 13. v. 25.

ait, velut vmbrã. Et Hesiodo [illegible]. Homo, est vermis & vmbra solùm. Sed quid opus est, citandis quibuscunque huiusce veritatis testibus, tempus extrahere, cùm oculis videamus, quàm citò nobis pereat hæc rerum facies? Quare in dies, ac horas, fixè ac seriò expectandum illud vitæ momentum, in quo misella hæc anima est efflanda, vt tandem aliquando, ad optatam illam æternitatis Ianuam fœliciter aspiremus, in vnico Saluatore nostro Iesu Christo.

Cui cùm Patre, & flamine Sacro, sit
omnis honos & gloria,
in æternum.
Amen.

FINIS.

ERRATA.

In Prologo Iobi.

Pag. 1. lin. 21.	Corrige.
Etenim ex recta	Etenim vt ex recta.
5 3. Prologum	Prologo.

In epist. ad Lectorem.

2. 15 insequi	imitari
ibid antepenult. φιλοκολουν	φιλοκολον
11. 2. μεγαπωνημα	μεγαπημα

In lib. Iob.

3. 13. Holocaustaque	holocaumata.
13. 8. quicquid	quisquam
14. 9. fidens	findens
15. 16 perrennem	perennem
20. 4. ireque	iræque
25. 11. quęrimonias	querimonias
26. 21. quærimoniarum	querimoniarum
ibid. 22. responsiionis & pars	responsionis pars
ibidem ead. ὀκθεσις	ὀκθεσις
31. 5. committit	committet
ibid. 18. amicos	amico
43. 13. adducitque	obducitque
ibid. 21. seruandum	sternendum
47. 5. Tum his	Tunc his
ibid. 32. dolosa	doloso
50. 8. lethei	lethæi
ibid. 22. discendit	descendit
54. 17. accipitis.	admittitis
56. 3. felices	felicis
57. vlt per amenæ	peramænæ
59. 18. occulos	oculos
62. 16. in iustos	iniustos
63. 18 loquitur	liquitur
70 4 nec ipse Topas	non ipse
73. penult. vipreta	vepreta
76. 18 quæstibus	questibus
77 19 dissideret	dissideret
80. 15 muteque	mutæque
89. 19 iniquis	iniqui?
92 vlt experta tuas	tuos
93 14 nunc cana	num cana
98 11 stumulo	stimulo.

Lib. Thronor.

1. 1. quærimonias	querimonias
7 vlt. dimisso	demisso
8 15 nimis	furens
13 13 arrescent	arescent
13 23 laco	lacco, metrice, gem. 1. litera.
14 16 rideant	videant
19 1 furui	furni.

Apo-

Pag. lin.		Corrige.
	Apocalypseos Prologi.	
1. 18 scrutantur		exquirantur
	Libri.	
2. 8. percipere		perciperem
13 18 millies		milies
15 13 verere		vrere
21. 1 vastatrice		vastatrices
36. 19. regi		regis
48. 5. fæmorique		femorique
50. 10 populoque		populosque
59. 19. illi		illis.
	Catecheseos.	
5. 11. sacerdoti		sacerdotis
ib. 39. desertis		deseris
8. 25 sæca		cæca
10 antepenult. quum		quin
11 34 penitrare		penetrare
13 6 metanoeian		metanoian
14 4 interno		in terno.
Dom. 16. 17. nexu sceleris		nexi sceleris
Dom. 46. 1 dogmata		dogmate.
	Confess. fidei.	
2 18 litiferum		lethiferum
Cap. 3 titulo capitis, pecacto		peccato
4 2 horrendum		horrendam.
	Assertione Meluin. 6.	
puritatem		paritatem.
	Epigrammatum Authoris.	
Fol. 67. pag. 2. l. 3. Britaniæ		Britanniæ.
ibidem 14. Euangeli		Euangelij.
Epigram. Tho. Volusini, Epitaphio tertio in authorem, litera V. vers. 5.		
inuidia		inuida.
	Conclusione operis.	
76 9 neglectis		neglectus
ibid. 37. accendat		accendatur
78 1 Calydonios		Caledonios
ibid. 11 impie		impia
79 9 vt ait.		Et vt ait
vlt. 6 expectantes		expectandum.